3|6

ILLUSTRIS APUD GRIMAM MOLDANI

DEDICATI ANTE HOS CCCXVI ANNOS

MEMORIAM ANNIVERSARIAM

D. XIV. M. SEPTEMBRIS

PIE CELEBRANDAM

INDICIT

Dr. RUDOLFUS DIETSCHIUS,

RECTOR ET PROFESSOR PRIMUS, ORDIN. RUSS. ANN. EQUES.

INEST

DE OPIFICUM APUD VETERES GRAECOS CONDICIONE DISSERTATIO I.

SCRIPSIT HERMANNUS FROHBERGER, PROF. VII.

GRIMAE,

TYPIS CAROLI ROESSLERI.

MDCCCLXVI.

De opificum apud veteres Graecos condicione dissertatio I.

Opificum in vetere Graecia quae ratio et condicio fuerit, etsi et scitu dignissimum et utile est ad res Graecorum illustrandas, tamen unus, quod ego sciam, ad nostram aetatem extitit qui peculiari libro hoc argumentum uberius tractaret, Guilelmus Drumann („*Die Arbeiter und Communisten in Griechenland und Rom*" Regiomont. 1860). Ante hunc qui incubuerunt ad explorandam opificum apud Graecos condicionem, ii quae ex veterum scriptis collegerant breviter, ut postulare videbantur scribendi rationes, exposita retulerunt in ea opera, quae de universis antiquis Graecorum rebus componebant; inter quos et disputandi arte et rerum ex ipsis fontibus repetendarum studio ceteris praestant Augustus Böckh (*Staatshaushalt der Athener* I. p. 64 sqq. ed. II.), C. Frid. Hermann (*Privatalterth.* §. 41—43), Guilelmus Adolfus Becker (*Charicles* I. p. 155 sqq. edit. II.), St. John (the Hellenes tome III.). Quod si quis miretur, quo iure hoc loco praetermiserim Parisinum illum scriptorem, qui historiam operariorum et opificum tractandam sibi proposuit (de Cassagnac, *Geschichte der arbeitenden und bürgerlichen Classen. Uebersetzung von* H. H. Brunsv. 1839): non satis idonea antiquitatis scientia accessit ille ad librum componendum, ita ut veteribus obtruderet, quae nostrae sunt aetatis, eriperet, quae eorum propria habentur.

Regiomontanum autem virum doctum quamquam negari non potest, qua fuit et rerum antiquarum peritia et iudicii subtilitate, non pauca et ex veterum scriptis deprompsisse, quae latebant, et rectius constituisse, quae erroribus premebantur: tamen nec fontes exhausit et hoc videtur parum commode instituisse, quod neque temporum neque gentium rationes distinxit. Nam aliter constat de opificio opificibusque iudicasse Graecos Homeri Hesiodique aetate, aliter Periclis aequales; aliam fuisse eorum conditionem in civitatibus maritimis, aliam in mediterraneis; alias de iis leges scripsisse Solonem, alias Lycurgum. Itaque non vereor ne audacius videar loqui, quum hoc argumentum contendo desiderare ampliorem et accuratiorem enarrationem, operaeque pretium facturus videor, quum, quae ex veterum libris de opificum apud Graecos condicione collegi,

digesta et illustrata divulgavero. Omnia autem quominus nunc exponam quum impediar exiguis huiusmodi libelli finibus, cetera quidem in aliam scribendi opportunitatem differre, hac autem uti placuit ad illustrandam opificum apud Athenienses condicionem, qualis fuit eo tempore, quo florebat illorum respublica, ita quidem, ut paucis praemissis de Solonis legibus, quae quidem ad hunc antiquitatis locum pertinent, primum doceam, quid illo tempore Athenienses de opificio opificibusque iudicaverint, deinde, qui potissimum opificia tractaverint, denique, quaé fuerit opificum et in republica et in civitate condicio.

Quibus in rebus explorandis quum novitas argumenti adhuc a viris doctis non ita saepe tentati moneret, ut in tanta subsidiorum tenuitate ad ipsos fontes regrederer: mox intellexi locum tractatu non facilem me sumpsisse. Etenim tam dispersa occurrebant in veterum scriptorum operibus rei vestigia, ut vix unum invenires, quin aliquid suggereret ad rem expediendam. Plurima tamen debentur comicis, oratoribus, Platoni, Xenophonti, Aristoteli, Athenaeo, Plutarcho. Sed posterioris quoque aetatis scriptores videbantur esse adhibendi, ita ut non solum Lucianum ut caute ita non raro testem produxerim, sed etiam rhetores, grammaticos, paroemiographos, scholiastas, lexicographos advocaverim, et ex lexicographis quidem praeter ceteros Harpocrationem, Suidam, Pollucem, ex scholiastis nullum saepius Aristophaneo. Denique ex inscriptionibus, quas quidem inspicere licebat, aliquem ad hanc dissertationem scribendam fructum percepi.

Caput I.

Ager Atticus quum non ea procrearet, quae sufficerent ad vitam incolentium sustentandam, [1]) ipsa soli natura coacti sunt Attici, ut aliis quaestus faciendi rationibus initis locorum opportunitate uterentur ad mercaturam navigationemque factitandam. Quibus isdem hoc est effectum, ut opificia, necessaria quippe si quibus mutuum cum exteris intercedit commercium, [2]) et a multis tractarentur et quam fieri posset diligentissime excolerentur. [3]) Quod quamquam non deerant qui conquererentur, cives navigationis et mercaturae studio et ad nimiam lucri faciendi cupiditatem et ad intolerandam in rebus publicis licentiam rapi existimantes, [4]) tamen non pauci scriptores hac potissimum a re praecipuum repetiverunt laudis Atheniensium titulum;

1) Nam quamvis multi sint veteres in laudanda terrae Atticae fertilitate (ut Plat. Menex. 237 e. Xenoph. de vectig. I, 2. Antiphanes ap. Athen. II, 43 b. Aristid. Panathen. t. I, p. 165. Dindf.), tamen locupletissimi testes consentiunt, Atticam non satis frugum extulisse; Thucyd. I, 2. Plutarch. Solon 22. Demosth. XVIII, 87. XX, 31.

2) Plat. de rep. II, 371 a. De Aeginetis eadem fere tradidit Ephorus ap. Strab. VIII, 16. (pag. 376 a.).

3) Xenoph. Hell. VII, 1, 4.

4) Plat. de leg. IV, 705 a. Aristot. Polit. VII, 4, p. 183 Bekker. Plut. Themist. 4. 19. Nautarum insolentiam *(ναυτικὴν ἀναρχίαν)* perstringit Eurip. Hec. 607. Cfr. Cic. de rep. II, 4, 7: „Est maritimis urbibus quaedam corruptela ac demutatio morum; importantur enim non merces solum adventiciae, sed etiam mores, ut ni-

quid quod Isocrates in Panegyrico [5]) Palladis urbem vocat artium et opificiorum inventricem et magistram, in Areopagitico [6]) Athenienses praedicat ipsius naturae favore esse aptissimos ad artes tractandas? Itaque et narrantur invenisse quum artem vasorum fictilium fabricandorum, [7]) tum omnem artem ferrariam [8]) et laudantur ab eximia in multis opificiis ratione et sollertia, ut in armis [9]) et calceolis fabricandis [10]), in re coquinaria et pistoria [11]). Neque videtur dubium quin eandem laudem civibus suis tributurus Aeschylus [12]) Pythiam Athenienses Volcani filios appellantem fecerit. Nam et poetarum fabulis et volgi opinione Volcanus et Minerva, qua credebantur esse artium peritia [13]), fingebantur homines docuisse opificia; cui deorum pari posterioris aetatis poetae et philosophi, qui quidem mythis et fabulis enarrandis operam dederunt, addiderunt tamquam administrum, qui deorum munera hominibus utenda accommodasset, Prometheum. [14]) Itaque Volcanus et Minerva, quum existimarentur opificum esse et magistri et

---

hil possit in patriis institutis manere integrum. Multa etiam ad luxuriam invitamenta perniciosa civitatibus suppeditantur mari.“

5) §. 40: „*τῶν τεχνῶν τάς τε πρὸς τἀναγκαῖα τοῦ βίου χρησίμας καὶ τὰς πρὸς ἡδονὴν μεμηχανημένας τὰς μὲν εὗρε τὰς δὲ δοκιμάσασα χρῆσθαι τοῖς ἄλλοις παρέδωκεν ἡ πόλις.*“ Cfr. Plutarch. de gloria Atheniensium c. 2. Aristid. Panath. I, p. 166. *ὑπὲρ τῶν τεττάρων* II, p. 220. Dindf. Mamertin. Panegyr. Iulian. 9: „bonarum artium magistrae et inventrices Athenae.“

6) §. 74: „*ἡ ἡμετέρα χώρα ἄνδρας φέρειν καὶ τρέφειν δύναται πρὸς τὰς τέχνας εὐφυεστάτους.*“

7) Critias ap. Athen. I, 28, c. (cfr. Bach, Critiae carmina p. 35 sq.). Plin. nat. hist. VII, 56, 194 Coroebum Atheniensem dicit primum figlinam exercuisse, et materiam figlinam optimam in Attica inveniri tradunt Eratosth. ap. Macrob. Sat. V, 21. Plutarch. de auditione c. 6.

8) Eustath. ad Iliad. II, 552. Etym. Magn. p. 805.

9) Pollux Onom. I, 149. Aelian. var. hist. III, 24.

10) Lucian rhet. praec. 15. Clem. Alex. Paedag. II, 11.

11) Plat. de rep. III, 404 a. Theophrast. hist. plant. VIII, 8, 2. Adde scriptorum et comicorum laudes ap. Athen. III, 101 c. 109 d. 112 b. IV, 134 e. XIV, 660 a.

12) Eumen. 13.

13) Plat. Protag. p. 321 e. Volcano et Minervae assignat communem in Olympo officinam, *οἴκημα κοινὸν ἐν ᾧ ἐφιλοτεχνείτην*. Cfr. Plat. Critiam 109 c. Aristid. Panathen. I, p. 23. Dindf. Lactant. institut. div. I, 18, 21. Homeri et Hesiodi testimonia proferre longum est. — Minervam ab hac artium peritia et sollertia dictam esse *Ἐργάνην ὡς τῶν δημιουργικῶν ἔργων προστάτιν* (Proclus in Timae. p. 52) inter omnes constat. Cfr. Preller, *Griech. Mythol.* I, 145 sq. De Volcano non pauca congesserunt Benseler, *Wörterb. der griech. Eigennamen* tom. II. s. v. *Ἥφαιστος*, Drumann, *die Arbeiter* etc. p. 8 sq., O. Iahn, *Über Darstellungen alter Reliefs, welche sich auf Handwerk und Handelsverkehr beziehen*, Act. societ. liter. Saxon., sect. phil. histor. tom. XIV. (1861) p. 310 sqq.

14) Schol. ad Soph. Oed. Col. 56: „*συντιμᾶται Προμηθεὺς ἐν Ἀκαδημίᾳ τῇ Ἀθηνᾷ καθάπερ ὁ Ἥφαιστος.*“ Cfr. Schol. ad Aristoph. Ran. 131. O. Müller, *Kl. Schriften* II. p. 149. Paucis iuvabit mythum narrasse. Quum enim homines, amissa pristina illa felicitate, terra non iam Cereris munera ultro praebente, et summa victus inopia premerentur neque salutem tueri possent a periculis undique imminentibus, deos adeo miseruit generis humani, ut artibus et opificiis eos instituendos putarent (Plat. Polit. 274 c. cfr. Menex. 238 b. Arnob. adv. gentes III, 22.). Itaque Volcanus, *ὁ ἀρχηγὸς τῶν τεχνῶν* (Plut. aquae et ignis comparatio pag. 958 ed. Francof., cfr. quaest. Sympos. IX, 14. Dio Chrysost. orat. XII. t. I. p. 416. Reisk.) socia assumpta Minerva, quam *πάρεδρον τῶν τεχνῶν* dicit Plutarch. de fortuna c. 4. (tom. VI. p. 374. Reisk., cfr. Isidor. etymol. XIX, 8, 20.) homines artes et opificia docuerunt; quae cum sine ignis usu excoli non possent, Prometheus clam ingressus illorum officinam ignem ereptum hominibus tradidit. (Plat. Polit. et Protag. l. l. Phileb. 74 a. Dio Chrysost. or. VI. t. I. p. 206. Reisk. Lucian. Prometh. 3. Apollod. I, 7, 1. Hinc Aeschyl. Prometh. 506 (Dindf.): „*πᾶσαι τέχναι βροτοῖσιν ἐκ Προμηθέως*“ (cfr. v. 462 sqq.).

patroni,[15]) Athenis isdem sollemnibus sacrisque ab opificibus una colebantur; erraverunt enim ii, qui sollemnia illa, quae, antiquitus *Ἀθήναια*, postea *Χαλκεῖα* dicta, ultimo mensis Pyanepsionis die agebantur, in solius Volcani honorem existimarunt esse celebrata.[16]) Quae sollemnia quum omnium opificum essent communia, figuli tamquam artis suae principem et patronum colebant Prometheum,[17]) cui festum diem (*τὰ Προμήθεια*) in Ceramico celebrabant, iuvenum taediferorum potissimum cursu et certamine (*λαμπαδηδρομία*) insignem.[18])

Quoniam vidimus, qui factum sit, ut Attici praeter ceteros Graecos operam et industriam in opificiis tractandis collocandam putarent, sequitur ut doceamus, quas rationes Solon, ut illa civium studia legibus et praeceptis adiuvaret, in ordinanda Atheniensium republica secutus sit. Qui quum intelligeret — ut Plutarchi utar verbis[19]) — urbem repleri hominibus omni tempore undique confluentibus maximamque partem agri Attici exilem esse et sterilem, maritimas autem nationes non ignoraret abhorrere a commercio eorum, qui non haberent quae praeberent in mercium invectarum compensationem, ad opificia tractanda impulit civium animos. Itaque legem quandam, qua Draco mortis poena proposita cives vetuerat vitam inertem et ignavam degere,[20]) ita instauravit, ut, cui non suppeterent res ad vitam sustentandam necessariae, eum iuberet opificium aliquod vel aliquam honestam quaestus faciendi rationem eligere,[21])

---

15) „*Ἡφαίστου καὶ Ἀθηνᾶς ἱερὸν τὸ τῶν δημιουργῶν γένος*“ Plat. de leg. XI, 920 d. cfr. Solon Eleg. magna 50. Artemidor. Onirocr. II, 35. 6. 42. 11. Proclus Hymn. in Minerv. 20. Lactant. institut. div. I, 18, 23. Vel in inscriptionibus sepulcralibus opifices saepius dicuntur artem et sollertiam accepisse a Volcano et Minerva, velut Corp. Inscr. no. 4158 (vol. III. p. 119. Böckh), faber ferrarius praedicatur *Ἡφαί στου σοφίαν* esse imitatus, no. 4286 (ib. p. 153) architectus laudatur qui fuerit *ἴδρις πάντων ἔργων Ἀνηναίης*.

16) Phanodemus ap. Harpocr. s. v. *χαλκεῖα*. Pollux Onom. VII, 104. De illis solemnibus nuper egregie disseruit A. Mommsen, *Heortologie* p. 311 sqq. Quem eundem video, sive inscium sive consulto, omisisse ea opificum solemnia, quorum mentionem fecit Hesychius s. v. *χειροπόνια*. Adde O. Iahn l. l. p. 324.

17) Lucian. Prometh. 1. cfr. Lys. XXI, 3. Hinc ipsi figuli per iocum dicebantur *προμηθεῖς*. Luc. l. l. 2. cfr. Iuvenal. Sat. IV, 133.

18) Polemo ap. Harpocr. s. v. *λαμπαδηδρομία*. Schol. ad Aristoph. Ran. 131. Pausan. I, 30, 2. Menander ap. Luc. Amor. 43. Photius s. v. *λαμπάδος*. Etym. Magn. p. 504, 17.

19) Plut. Solon 22: „*ὁρῶν τὸ μὲν ἄστυ πιμπλάμενον ἀνθρώπωκ ἀεὶ συρρεόντων πανταχόθεν ἐπ ἀδείας εἰς τὴν Ἀττικήν, τὰ δὲ πλεῖστα τῆς χώρας ἀγεννῆ καὶ φαῦλα, τοὺς δὲ χρωμένους τῇ θαλάττῃ μηδὲν εἰωθότας εἰςάγειν τοῖς μηδὲν ἔχουσιν ἀντιδοῦναι, πρὸς τὰς τέχνας ἔτρεψε τοὺς πολίτας.*“

20) Plut. Solon 17. Lysias ap. Diog. Laert. I, 55. et in lex. rhetor. Photii editioni Porsonianae adiecto p. 575 (fragm. 10. Scheibe). Pollux Onom. VIII, 42. qui capite non damnatos sed deminutos esse tradidit, qui illam legem (*τὸν τῆς ἀργίας νόμον*) neglexissent. Sunt qui existiment, a Dracone eam esse abiudicandam et totam Soloni tribuendam, propterea quod et Demosth. LVII, 32. illam ad Solonem videatur referre et Herod. II, 177. ac Diod. I, 77. eundem narrent legem illam ex Aegyptiorum institutis deprompsisse. At obstat eorum sententiae Lysiae, auctoris in re forensi gravissimi, testimonium, qui diserte *Δράκοντα* dixit *γεγραφέναι τὸν νόμον, Σόλωνα δὲ τεθεικέναι.* Qua in re non mirum, quod alii Solonem legis auctorem haberi voluerunt; satis enim constat, volgus in ea fuisse sententia, ut leges et instituta omnia Atheniensium uni Soloni deberi putaret, oblitum, eum non omnia radicitus evellere voluisse, sed quae repperisset bene et sapienter in republica instituta, in suas leges recipienda duxisse (Plut. Solon 15.). Ceterum Theophrastus ap. Plut. Sol. 31. ne Solonem quidem legem illam sanxisse ratus, Pisistratum sapienter eam excogitasse narrat, ut civium animos et studia avocaret a republica. Cfr. C. F. Hermann de Dracone legum latore Attico p. 5.

21) Eodem referenda existimo Isocratis in Areopagitico §. 44. verba: „*οἱ κατ᾽ ἐκεῖνον τὸν χρόνον τὴν πόλιν διοικοῦντες* (h. e. Solon et Clisthenes, §§. 16. 20), *ὡς πρὸς τὴν οὐσίαν ἥρμοττεν, οὕτως ἑκάστοις προσέταττ-*

inopiam existimans dedecori non esse, non fugisse eam esse dedecori, Areopagitarum autem iudicio id traderet negotii, ut quotannis ex unoquoque cive diligenter quaererent, quonam quaestu vitam sustentaret;[22]) qui si quem iudicassent rerum angustiis pressum prae animadvertenda socordia nestudere quidem rebus suis succurrere, ei intenderent inertiae litem (*γραφὴ ἀργίας*) nomine ad primum archontem heliastasque iudices delato.[23]) Qua causa qui semel cecidisset, ei voluit mulctam irrogari, ter qui eiusdem peccati esset convictus, eum capite deminui.[24])

Qua lege quum civibus rei familiaris tenuitati laborantibus necessitatem iniunxisset victus manibus et opera quaerendi, alia providit, ne cui deesset operis faciendi facultas et peritia. Nam si quis filius a patre nullam esset edoctus artem, eum voluit pietatis officiis ita esse solutum, ut patri seni alimenta praebere non deberet;[25]) cuius legis quanta fuerit gravitas ac severitas, facile intelliget qui quam saevas poenas alias Solon sanxerit in filios impios meminerit.[26]) Extitit[27]) qui negaret, eius legis, contrariae quippe Graecorum de liberali vitae ratione opinioni, unquam in republica Atheniensium usum esse factum, qui vereor ne diversas temporum rationes parum respexerit, ita ut a Solonis aetate id abiudicaret, quod Periclis tempore filio ingenue educando videbatur indignum, Solonem oblitus data opera id egisse, ut igno-

---

τόν· τοὺς γὰρ ὑποδεέστερον πράττοντας ἐπὶ τὰς γεωργίας καὶ τὰς ἐμπορίας ἔτρεπον, εἰδότες τὰς ἀπορίας διὰ τὰς ἀργίας γιγνομένας."

22) Plut. Solon 22. Diog. Laert. VII, 169. Phanodemus et Philochorus ap. Athen. IV, 168 a. Valer. Max. II, 6, 3.

23) Bekker, Anecd. Gr. I. p. 310. Plut. Apophth. Lacon. s. *Ἡρώνδου.* Heliastas iudices, non ipsos Areopagitas de reo sententias tulisse ex Plut. Lycurg. 24. videtur apparere; quamquam aliter iudicat Meier, *der attische Process* p. 299. Nulla de ea re esset sententiarum discrepantia, nisi temporis invidia eripuisset nobis Lysiae orationes contra Aristonem et contra Nicidam in hac causa habitas (Lys. fragm. 10. Scheibe. Diog. Laert. I, 55. Harpocr. s. vv. *δωροξενία, εὔθυνοι, ποταμός, πτώματα* etc. omnino novies), quarum altera Taylori Angli aëtate etiamtunc extitisse videtur in praestantissimo codice Palatino. Cfr. Taylor, lect. Lys. p. 299. Sauppe, epist. crit. ad God. Hermannum p. 8.

24) Lys. c. Ariston.: „*Σόλων θάνατον οὐχ ὥρισεν ὥςπερ Δράκων, ἀλλ' ἀτιμίαν ἐάν τις ἁλῷ τρίς, ἐὰν δ' ἅπαξ, ζημιοῦσθαι δραχμὰς ἑκατόν.*" Quod Heffter *(Athen. Gerichtsverfassung pag. 170)* Lysiae et Demosthenis temporibus existimat obsolevisse iam legem litemque: refragantur ei quum Lysiae fragmenta tum Demosth. LVII, 32. Quamquam non dubium, quin *ἀργία* Lysiae aetate non amplius eadem existimata sit quae Solonis; nam privata negligere prae rerum publicarum cura boni civis, opificia mercaturam omne quaestus faciendi studium se indignum iudicare viri liberalis esse putabatur. At reprehendenda et iudicum suffragiis castiganda videbatur stolida illa desidia et humano genere indigna inertia, qualem descripsit Nicolaus Sophista in ficta oratione *κατ' ἀργοῦ.* (Progymnasm. VII, 2. Walz, rhet. graeci I, p. 321 sqq.) Ceterum eandem de ignavia fugienda legem feruntur sanxisse Numa (Dion. Halic. Antiq. II, 76) et qui Sardorum (Aelian. var. hist. IV, 1) et Lucanorum (Nicolaus, de moribus gentium ap. Stobae. floril. XXXXIV, 41. Meineke) respublicas ordinaverunt. Quam vero legem ex Ulpiano, dubiae sane fidei teste, repetitam indagasse sibi visus est Petitus (antiq. gr. II, 6, 12): ne quis servos aleret otiosos, eam, quamvis a Boeckhio (*Staatsh.* I, 623) acceptam, quum et parum probabilis videatur nec certo nitatur testimonio, in numerum ineptorum commentorum, quibus abundat garrulus Demosthenis scholiasta, referre satius visum est.

25) Plut. Solon 22: „*υἱῷ τρέφειν τὸν πατέρα μὴ διδαξάμενον τέχνην ἐπάναγκες μὴ εἶναι.*"

26) Diog. Laert. I, 55.

27) Becker, Charicles I, 155 (ed. II.).

miniae notam nobilibus civitatem oppressam tenentibus opificio quasi inustam deleret. Quid quod Vitruvius et Galenus [28]), quorum utrumque gravissimum ob iudicii sobrietatem testem adhibemus, eiusmodi legem Athenis in usu fuisse cum Plutarcho consentiunt?

Quod modo diximus, Solonem omne dedecus et opprobrium de opificii tractatione abstergi voluisse, id nostro iure nos contendisse ex ea apparet lege, qua vetuit ulli civi negotia in foro factitata cum contumelia exprobrari; qua iniuria si quis esset lacessitus, eum iussit adversario convicii litem (*δίκη κακηγορίας*) intendere, [29]) ita tamen, ut civibus interdiceret artibus viro liberali indignis; quo in numero habuisse narratur artem unguentariam. [30]) Idem rebus et saluti eorum videtur prospexisse, qui prae corporis infirmitate ex opificio quod tractandum sibi sumpsissent victum necessarium sibi comparare, quamvis vellent, non possent; quibus publice succurri voluit singulis binisve, si opus videretur, ternis quotidie obolis ex aerario datis. [31])

Quibus legibus omnibus quamvis praecepisset civibus, ut, si opus esset, operam et industriam in opificiis collocare quam otio ac desidiae indulgentes rerum penuria laborare mallent, tamen, ut erat consilii plenus, intellexit, quum cives nisi necessitate coacti non facile ad illa tractanda viderentur descensuri, periculum esse, ne ad servos aliquando illa pervenirent servilique condicione digna existimarentur. [32]) Itaque metuens, ne opificium posteris sordidum et abiectum videretur, legem scripsit, ut, qui patria relicta Athenas commigrassent commercii

---

28) Vitruv. libr. IV. praefat.: „Omnium Graecorum leges cogunt parentes ali a liberis, Atheniensium non omnes nisi eos, qui liberos artibus erudissent." Galen. Protrept. 8. initio: *„ὁ Ἀθήνησι νομοθέτης τὸν μὴ διδάξαντα τέχνην ἐκώλυε πρὸς τοῦ παιδὸς τρέφεσθαι."*

29) Demosth. LVII, 30: *„οἱ νόμοι κελεύουσιν ἔνοχον εἶναι τῇ κακηγορίᾳ τὸν τὴν ἐργασίαν τὴν ἐν τῇ ἀγορᾷ ἢ τῶν πολιτίδων ὀνειδίζοντά τινι."* Cfr. §. 31.

30) Athen. XIII, 612 a. XV, 687 a. Is, cui Lysias orationem adversus Aeschinem Socraticum scripsit, acerbe invehitur in reum, quem artem unguentariam tractare non pudeat (fragm. 1. Scheibe).

31) Civi invalido, quem Lysias defendit orat. XXIV., quum ex opificio tractato tenuiora vitae sustentandae subsidia sibi compararet (§. 6), singuli in dies ex aerario dabantur oboli (§§. 13. 22). Legem de invalidis civibus *ἀδύνατοι* publice in prohibenda inopia adiuvandis ad Solonem referunt Harpocrat. s. v. (*ἀδύνατοι*) et Schol. ad Aeschin. I, 103 (pag. 272. edit. Ferdin. Schultz).

32) In permultis Graeciae civitatibus ad homines infimi ac paene servilis ordinis constat opificia, contempta quippe a civibus, pertinuisse, ut inter Thessalos ad Penestas, quos *τοὺς ἐργαζομένους* interpretatur Schol. ad Demosth. XXIII, 199., *τὸ παρὰ Θετταλοῖς θητικὸν* Timae. lex. Platon. p. 212. Ruhnken (cfr. Schol. ad Aristoph. Vesp. 1273. ad Clem. Alexandr. tom. IV. pag. 107. Klotz. ad [Demosth.] XIII, 23.), quos etsi non servos (parum recte Grammaticus in Bekkeri Anecd. Gr. I. p. 292: *„οἱ δοῦλοι τῶν Θετταλῶν Πενέσται καλοῦνται"*), at infimi ordinis fuisse discimus ex Athen. VI, 264 a. b. Polluc. Onom. III, 83; inter Milesios ad Gergethes, quos Suidas s. vv. *Γέργηθες* et *τύρβη* interpretatur *χειρώνακτας*. Cuius eiusdem generis fuisse existimandi sunt inter Argivos Gymnetes (Poll. l. l. Stephanus Byzant. s. v. *Χίος*), inter Sicyonios Corynephori (Pollux l. l.), inter Syracusanos Cillicyrii (v. Leutsch ad Zenob. Cent. V, 54, in corp. paroemiogr. I, p. 100.), inter Heracleotas Mariandyni (Athen. VI, 263 d. e. Plat. de leg. VI, 776 d. et ibi Stallbaum., Phot. s. v. *κλαρῶται*), inter Byzantios Bithyni (Athen. VI, 271 c.), inter Boeotos *Θηβαγενεῖς* (O. Müller, Orchomenos p. 387). Inter Lacedaemonios non Helotas, sed Perioecos versatos esse in artibus opificiisque tractandis, hoc loco paucis verbis sufficiat affirmasse, quum alia scribendi facultate data hoc pluribus exponendum existimem.

opificiique factitandi causa, in civium tabulas referrentur.[33]) Quam quidem legem, quum eum non fugeret timendum esse, ne nimia exterorum multitudine confluente civitas opprimeretur, non dubito quin non in perpetuum valere, sed ad tempus observari voluerit, prudentiae suae esse putans, civitatem post tot tantasque civium caedes peregrinis receptis confirmare.[34])

Quae quum ita essent, efflorescebat iam Athenis laeta illa civitatis opulentia, quam quo aegrius suo tempore desiderabant eo vehementius oratores laudaverunt. Solonis enim aetate ea erat civitatis condicio, ut quum secundum Hesiodeum illud: *ἔργον οὐδὲν ὄνειδος, ἀεργίη δέ τ᾽ ὄνειδος*[35]) artes et opificia cives non dirimerent in classes alias aliis honestiores,[36]) multi operam ponerent in illis exercendis,[37]) ad laboris et parsimoniae normam vitam dirigendam rati;[38]) nam divitiores, quippe qui haberent unde otio vacarent, rerum publicarum administrationem ad se pertinere existimabant,[39]) pauperiores opificiis exercendis, agris colendis, mercatura factitanda curtam rem familiarem amplificare studebant,[40]) illorum opibus et auxilio, si opus esset, sublevati.[41]) Quid igitur mirum, quod neque desidiam neque egestatem in civitate repertam esse neque quemquam cibo mendicato vitam sustentasse praedicant?[42])

Ex iis quae modo exposuimus simul illud apparere puto, quem in republica locum sapientissimus legum conditor opifices obtinere voluerit; divitioribus enim rempublicam esse administrandam, pauperioribus ut civium officia et munera non negligenda ita ante omnia rei

---

33) Plut. Solon 24: „*ὁ τῶν δημοποιητῶν νόμος γενέσθαι πολίταις δίδωσι τοῖς πανεστίοις Ἀθήναζε μετοικιζομένοις ἐπὶ τέχνῃ.*“

34) Sunt qui existiment (maxime Wachsmuth, *hellen. Antiq. I.* p. 474. edit. II., nuper Drumann, *die Arbeiter* pag. 45), quos accersivisset Solon, eos non civium numero esse ascriptos, sed inquilinos factos. At obstant Plutarchi verba, a quo non dissentit Thucyd. I, 2: „*ἐκ γὰρ τῆς Ἑλλάδος οἱ ἐκπίπτοντες παρ᾽ Ἀθηναίους ἀνεχώρουν καὶ πολῖται εὐθὺς ἐγίγνοντο,*“ ubi Schol.: „*οἱ Ἀθηναῖοι τὸ παλαιὸν εὐθὺς μετεδίδοσαν πολιτείας, ὕστερον δὲ οὐκέτι διὰ τὸ πλῆθος.*“ Quod si exules perfugium petituros antiquitus Athenienses donabant civitate, quidni sit credibile, quos ipsi Solonis suasu allexissent, eos pari honore dignos esse visos? Cf. Duncker, *Geschichte des Alterthums IV*, p. 228.

35) Op. et dies 315. (309).

36) Plut. Solon 2: „*ἐν τοῖς τότε χρόνοις, καθ᾽ Ἡσίοδον, ἔργον οὐδὲν ἦν ὄνειδος οὐδὲ τέχνη διαφορὰν ἔφερεν·*“ c. 22: „*Σόλων ταῖς τέχναις ἀξίωμα περιέθηκεν.*“ Schol. ad Aeschin. I, 27: „*τοῖς Ἀθηναίοις ἐνομίζετο τέχνην τινὰ ἐπιτηδεύειν.*“ Locum Aeschineum ipsum ad Solonis aetatem pertinere infra docebimus.

37) Cives enim illo tempore fuisse industrios et laboriosos (*ἐργατικούς*) testis est Plutarch. Quaest. sympos. VIII, 6.

38) Isocr. VII, 24: „*μεμαθηκότες ἦσαν ἐργάζεσθαι καὶ φείδεσθαι.*“

39) Isocr. VII, 26: „*οἱ κατ᾽ ἐκεῖνον τὸν χρόνον τὴν πόλιν διοικοῦντες* (Solon et Clisthenes) *διεγνωκότες ἦσαν, ὅτι δεῖ τοὺς σχολὴν ἄγειν δυναμένους καὶ βίον ἱκανὸν κεκτημένους ἐπιμελεῖσθαι τῶν κοινῶν.*“

40) Ib. §. 44: „*τοὺς ὑποδεέστερον πράττοντας ἐπὶ τὰς γεωργίας καὶ τὰς ἐμπορίας ἔτρεπον, εἰδότας τὰς ἀπορίας διὰ τὰς ἀργίας γιγνομένας.*“

41) Ib. §. 32: „*οἱ τὰς οὐσίας ἔχοντες, ὑπολαμβάνοντες αἰσχύνην αὑτοῖς εἶναι τὴν τῶν πολιτῶν ἀπορίαν, ἐπήμυνον ταῖς ἐνδείαις, εἰς τὰς ἐργασίας (αὐτοῖς) ἀφορμὴν παρέχοντες.*“

42) Isocr. VIII, 75. florem reipublicae Atheniensium praedicans: „*ὁ δῆμος ὁ τότε πολιτευόμενος οὐκ ἀργίας οὐδ᾽ ἀπορίας ἦν μεστός,*“ id. VII. 83: „*τότε οὐδεὶς ἦν τῶν πολιτῶν ἐνδεὴς τῶν ἀναγκαίων οὐδὲ προσαιτῶν τοὺς ἐντυγχάνοντας τὴν πόλιν κατῄσχυνεν.*“ Mendicos in civitate non ferendos, sed finibus excludendos esse monet Plato de leg. XI, 936 b.

familiari esse prospiciendum, ne privatorum inopia postremo rempublicam secum in eandem traheret calamitatem. Itaque quartam illarum classium, in quas discripserat civitatem, operarios (*θῆτες*), cui plerosque omnes opifices ascriptos fuisse consentaneum est, quamquam non omnino a republica prohibuit,[43]) tamen magistratus obtinere vetuit;[44]) suggestu vero tantum abfuit ut eos excluderet, ut Aeschine oratore teste[45]) hos potissimum, ut homines sobrios et incorrupti iudicii, in concionibus ad dicendum surgere vellet. —

Caput II.

Solon quantum curae in ordinanda republica tribuerit opificiis opificibusque, illa civibus commendaturus, hos in honesto inter ceteros loco collocaturus, quoniam quoad licebat per tenuitatem et obscuritatem veterum de hac re testimoniorum exposuimus, transeundum videtur ad illud, quod potissimum hac dissertatione explanare propositum est, ut videamus, quae opificum condicio eo tempore fuerit, quo florebat Atheniensium respublica. Quam quaestionem supra proposuimus tripertitam.

Nam primum quidem quid iudicarint illo tempore Athenienses de opificio et opificiis nos explicaturos diximus. Illud intelligimus tempus, quo respublica populari imperio Clisthenis Themistoclis Aristidis institutis corroborato adeo opibus auctoritate gloria florebat, ut per septuaginta fere annos principatum Graeciae obtineret, deinde, quamvis gravissima belli offensione fracta, mox ex clade et ruina recrearetur. Tanto civitatis flore fieri non poterat quin civium animi a negotiis privatis toti vocarentur ad rerum publicarum curam. Quum enim tyrannis expulsis felici civium opera ac virtute civitas in libertatem esset vindicata, libertatem et fortiter tuendam et prudenter legibus temperandam ita putabant cives, ut pro sua quisque facultate quasi reipublicae navem cum ceteris vel remigando promoveret vel gubernando dirigeret. Reipublicae enim disciplinam esse tamquam civitatis animam;[46]) cuiusvis igitur civis interesse, ne quando eam deficerent nutrimenta et vires; itaque summopere id omnibus esse agendum, ut patriae, communi civium matri ac nutrici, debita redderent

---

43) Plut. Solon 18: „*Σόλων τὰς ἀρχὰς ἁπάσας τοῖς εὐπόροις ἀπολιπεῖν ἠβούλετο. — Τοῖς θησὶν οὐδεμίαν ἀρχὴν ἔδωκεν ἄρχειν, ἀλλὰ τῷ συνεκκλησιάζειν καὶ δικάζειν μόνον μετεῖχον τῆς πολιτείας.*“ Aristot. Polit. II, 12. pag. 57. (Bekker): „*τὸ θητικὸν, οἷς οὐδεμιᾶς ἀρχῆς μετῆν.*“ Schol. ad Aristoph. Eqq. 633. (Dindf.).

44) Aditum ad magistratus obtinendos patefecit iis Aristides. Plut. Aristid. 22. Cfr. Aristot. Polit III, 4. pag. 65: „*παρ' ἐνίοις οὐ μετεῖχον οἱ δημιουργοὶ τὸ παλαιὸν ἀρχῶν, πρὶν δῆμον γενέσθαι τὸν ἔσχατον.*“

45) Aeschin. I. 27: „*ὁ νομοθέτης* (Solon, §. 26.) *οὐκ ἀπελαύνει ἀπὸ τοῦ βήματος, εἴ τις τέχνην τιν' ἐργάζεται ἐπικουρῶν τῇ ἀναγκαίᾳ τροφῇ, ἀλλὰ τούτους καὶ μάλιστ' ἀσπάζεται.*“ Parum recte hunc locum explicuit Krause, *Gymnastik und Agonistik der Hellenen I*, p. 29.

46) Isocr. VII, 14: „*ἔστι ψυχὴ πόλεως πολιτεία.*“ Id. XII, 138. Demosth. ap. Stob. floril. XXXXIII, 140. Aristot. Polit. VI, 11. pag. 163 Bekker: „*ἡ πολιτεία βίος τίς ἐστι πόλεως.*“

alimenta,[47]) omnibus viribus opibusque in communionem temporum reipublicae collatis; quod fieri non posse nisi plurimo tempore civitatis curae publicisque negotiis transmisso.

Quod si quis bonus civis existimari volebat, ingenuo illo ei opus erat otio, quo vacare posset omni muneri civili suscipiendo,[48]) quod Socrates dictitabat esse libertatis consanguineum.[49]) Hoc igitur otium liberale civibus magnopere expetendum videbatur.[50]) Atqui non vacabant reipublicae, qui victui quaerendo intenti omne tempus consumebant in opificiis aliisque id genus negotiis agendis.[51]) Ergo opifices non videbantur, etsi vellent, boni esse posse cives, quippe quibus per vitae rationes ne liceret quidem reipublicae ea praestare officia, in quibus colendis sita esset civium honestas.[52]) Propter hoc ipsum ii, qui quomodo respublica optime et sapientissime constitueretur quaerebant, in ea erant sententia, ut opifices civitate omnique munere civium omnino excludendos putarent.[53])

Accessit, quod plurimorum opificiorum ipsa ratio tulit, ut qui ea exercebant cogerentur non solum domi se continere, sed etiam sellularium quaestum facere. Atqui sub divo corpus corroborare, non intra parietes effeminare viri boni et fortis esse videbatur, ita ut despi-

---

47) „*ἡ πόλις τροφὸς καὶ μήτηρ.*“ Plat. de rep. V, 470 d. (ibi Stallbaum). Alimenta (*τὰ τροφεῖα*) ut patriae reddantur saepe praecipiunt oratores et philosophi. Lys. II. 70. VI. 49. Isocr. VI, 108. Lycurg. c. Leocr. 58. Plat. de rep. VII, 520 b. Aristides *ὑπὲρ τῶν τεττάρων* tom. II. p. 236 Dindf. Cfr. Cic. de rep. I, 4, 8.

48) Eandem *ἀφθονίαν σχολῆς* Lycurgus suis legibus et institutis Spartiatis prospiciendam putarat (Plut. Lycurg. 24.); quam qui vituperabant, inertiam (*ἀργίαν*) esse dicebant. (Isocr. XI, 20. Nicolaus Sophista, Progymnasm. X, 4. in Walzii rhetor. gr. I, p. 364.)

49) Aelian. var. hist. X. 14. Diog. Laert. II, 31. Cfr. Plato Theaet. 175 d.: „*ἐν ἐλευθερίᾳ καὶ σχολῇ τραφῆναι.*“

50) Aristot. Polit. II, 9. pag. 44: „*δεῖ τῇ μελλούσῃ καλῶς πολιτεύεσθαι πολιτείᾳ τὴν τῶν ἀναγκαίων ὑπάρχειν σχολήν,*“ ib c. 11. pag. 54. Cfr. Eurip. Ion 634. (Dindf.): „*εἶχον τὴν φιλτάτην ἀνθρώπῳ σχολήν.*“

51) Aristot. Polit. VI, 6. pag. 156: „*οἱ γεωργικοὶ καὶ οἱ κεκτημένοι μετρίαν οὐσίαν ἔχουσιν ἐργαζόμενοι ζῆν, οὐ δύνανται δὲ σχολάζειν.*“ Id. II, 11. pag. 54: „*ἀδύνατον τὸν ἀποροῦντα σχολάζειν.*“ V, 2. pag. 131: „*αἱ βάναυσοι τέχναι ἄσχολον ποιοῦσι τὴν διάνοιαν.*“ VI, 4. pag. 153. Cfr. Isocr. VII, 83. Eurip. Suppl. 420 sqq. Xenoph. Cyrop. II, 1, 15. IV, 3, 12: „*τοῖς μὲν γεωργίαι ἀσχολίαν παρέχουσι, τοῖς δὲ τέχναι.*“ Lucian. Fugitivi 12.

52) Herod. II, 167: „*πάντες οἱ Ἕλληνες ἀτιμοτέρους τῶν ἄλλων ἡγεῦνται πολιητέων τοὺς τὰς τέχνας μανθάνοντας καὶ τοὺς ἐκγόνους τούτων, τοὺς δ' ἀπηλλαγμένους τῶν χειρωναξιέων γενναίους νομίζουσιν εἶναι καὶ μάλιστα τοὺς εἰς τὸν πόλεμον ἀνειμένους.*“

53) Aristot. Polit. III, 5. pag. 66: „*ἡ βελτίστη πόλις οὐ ποιήσει βάνουσον πολίτην· πολίτου γὰρ ἀρετὴ οὐ παντός, ἀλλ' ὅσοι τῶν ἔργων εἰσὶν ἀφειμένοι τῶν ἀναγκαίων.*“ Plat. de leg. VIII, 486 d.: „*μηδεὶς ἐπιχώριος ἔστω τῶν περὶ τὰ δημιουργικὰ τεχνήματα διαπονούντων· τέχνην γὰρ ἱκανὴν κέκτηται πολίτης ἀνὴρ τὸν κοινὸν τῆς πόλεως κόσμον σώζων.*“ In compluribus Graeciae civitatibus lege praescriptum erat, ne quis civis opificia tractaret. Xenoph. Oecon. 4, 3: „*ἀσχολίας μάλιστα ἔχουσι πόλεως συνεπιμλεῖσθαι αἱ βαναυσικαὶ καλούμεναι τέχναι· ὥστε οἱ τοιοῦτοι δοκοῦσι κακοὶ ταῖς πατρίσιν ἀλεξητῆρες εἶναι· καὶ ἐν ἐνίαις μὲν τῶν πόλεων, μάλιστα δὲ ἐν ταῖς εὐπολέμοις δοκούσαις εἶναι, οὐδ' ἔξεστι τῶν πολιτῶν οὐδενὶ βαναυσικὰς τέχνας ἐργάζεσθαι.*“ Sic, ut omittamus Lacedaemonios, Philolaus Thebanus legem scripserat, ut ne quis magistratum obtineret, qui manibus victum quaereret (Aristot. Polit. III. 5. pag. 67. cfr. Mueller Orchomenos pag. 401 sqq.); Locris et Phocensibus legum latores interdixerant arte cauponia factitanda (Aristot. ap. Heracl. Pont. 30; quamquam de iis Aristotelem non verá narrasse contendit Timaeus ap. Athen. VI, 264 c.). Idem Aristoteles Epidamni narrat omnia opificia tractata esse a servis publicis (Polit. II, 7. pag. 40.); Thespiis turpe videbatur incumbere ad illa discenda (Heracl. Pont. 43.).

cerentur, qui sub umbra essent educati (*σκιατραφεῖς*)[54]), strenui gnavi ad gravissimum quodque opus suscipiendum idonei existimarentur, qui solis radiis tolerandis quavis coeli temperie assuevissent (*ἡλιωμένοι*).[55]) Itaque non mirum, quod opifices, quibus non liceret corpora in gymnasiis exercere et corroborare,[56]) quos eosdem oporteret quasi servos quosdam artium suarum[57]) domi sedere,[58]) ob corporum infirmitatem viriumque debilitatem non existimabantur posse assequi illam pulcritudinem, quam cum bonitate coniunctam Graeci in homine vere ingenuo et liberali quaerendam putabant. Opificia enim videbantur corporis robur adeo frangere,[59]) ut qui ea tractarent ne valerent quidem decoram pro patria mortem oppetere;[60]) quamobrem Hippodamus Milesius in eo libro, quem de optima republica composuit, armorum usu omnino eos abstinere iussit.[61])

Qui vero corporis infirmitate laborarent, eosdem non existimabant magni aut ampli quidquam posse cogitare; nam cum corpore simul animum depravari ingeniique vires debilitari;[62]) itaque opifices et corporis et animi imbecillitate impediri, quominus ad virtutem et honestatem omnia referrent.[63]) Illiberalem hanc et a viro ingenuo alienam opificum condicionem *βαναυσίαν* dicebant, quo vocabulo non sine aliquo contemptu Graecos usos esse con-

---

54) Plat. de rep. VIII, 556 d. Clearch. ap. Athen. XII, 515 c. Plutarch. Apophth. Lacon. s. *Ἀγησίλαος* 13. Pollux IV, 147. VI, 185. Suidas. Cfr. Lobeck ad Phryn. pag. 578. Horum, ut erat in proverbio, *οὐδὲν ὄφελος ἢ σκυτοτομεῖν.* Apostol. Proverb. Cent. XIII, 35. v. Leutsch Corp. paroemiogr. I, pag. 441 sq.

55) Plat. l. l. Theophr. Char. VI, 16.

56) Cfr. Plat. de leg. V, 743 d.

57) „*ὥςπερ δοῦλοι τῆς τέχνης*“ Lucian. Paras. 23.

58) Xen. Oecon. 4, 2: „*αἱ βαναυσικαὶ τέχναι καταλυμαίνονται τὰ σώματα τῶν ἐργαζομένων ἀναγκάζουσαι καθῆσθαι καὶ σκιατραφεῖσθαι·*“ de rep. Laced. 1, 3: „*οἱ πολλοὶ τῶν τὰς τέχνας ἐχόντων ἑδραῖοί εἰσιν.*“ Plat. Amator. pag. 137 b. Cfr. Pollux I, 50. Hesych. s. v. *δίφρις.* Aristid. *πρὸς τοὺς αἰτιωμένους* II. pag. 575 Dindf. Artemidor. Onirocr. II, 73. Dionys. Halic. iudic. de Thucyd. 50. Antiq. II, 28. et „sedentarios sutores“ ap. Plaut. Aulul. III, 5, 39. plebeiam faecem sellulariorum Cic. fragm. ap. Augustin. adv. Pelag. II, 37.

59) Aristot. Oecon. fragm. 2: „*αἱ βάναυσοι ἐπιμέλειαι τὰ σώματα ἀχρεῖα ποιοῦσιν.*“

60) Plut. de puer. educ. c. 11: „*πόλεμος ἐσκιατραφημένων σωμάτων ἕξιν οὐ δέχεται.*“ Cfr. Xen. Oecon. 4, 3. Dionys. Halic. Antiq. VI, 53. Liv. VIII, 20. Propterea Plato de rep. V, 468 a. eos, qui in bello stationem deseruissent vel arma abiecissent, ob ignaviam opificum numero ascribi voluit.

61) Ap. Aristot. Polit. II, 8. pag. 41 Bekker. Ib. IV, 4. pag. 101. opponuntur inter se *βάναυσοι* et *ὁπλῖται.*

62) Xen. Oecon. 4, 2: „*τῶν σωμάτων θηλυνομένων καὶ αἱ ψυχαὶ πολὺ ἀρρωστότεραι γίγνονται.*“ Plat. de rep. VI, 495 d.: „*ὑπὸ τῶν τεχνῶν καὶ δημιουργιῶν ὥςπερ τὰ σώματα λελώβηνται οὕτω καὶ τὰς ψυχὰς ξυγκεκλασμένοι καὶ ἀποτεθρυμμένοι διὰ τὰς βαναυσίας τυγχάνουσιν.*“ Cfr. de leg. V, 728 e.

63) Aristot. Polit. III, 5. p. 67: „*οὐχ οἷόν τ' ἐπιτηδεῦσαι τὰ τῆς ἀρετῆς ζῶντα βίον βάναυσον ἢ θητικόν.*“ V, 2. pag. 131: „*βάναυσον ἔργον εἶναι δεῖ τοῦτο νομίζειν καὶ τέχνην ταύτην, ὅσαι πρὸς τὰς πράξεις τὰς τῆς ἀρετῆς ἄχρηστον ἀπεργάζονται τὸ σῶμα τῶν ἐλευθέρων ἢ τὴν ψυχὴν ἢ τὴν διάνοιαν. Διὸ τὰς τοιαύτας τέχνας ὅσαι τὸ σῶμα παρασκευάζουσι χεῖρον διακεῖσθαι βαναύσους καλοῦμεν· ἄσχολον γὰρ ποιοῦσι τὴν διάνοιαν καὶ ταπεινήν.*“ IV, 9. p. 108; VII, 4. p. 183. Plat. de leg. V, 741 e.: *ἐπονείδιστος λεγομένη βαναυσία ἦθος ἀποτρέπει ἐλεύθερον.*“ de rep. IX, 590 c.: „*βαναυσία καὶ χειροτεχνία διὰ τί ὄνειδος φέρει; ἢ δι' ἄλλο τι φήσομεν ἢ ὅταν τις ἀσθενὲς φύσει ἔχῃ τὸ τοῦ βελτίστου εἶδος.*“ Cfr. Charmid p. 163. b. Nam „*ἔστι οὐδέποτε μέγα καὶ νεανικὸν φρόνημα λαβεῖν μικρὰ καὶ φαῦλα πράττοντας*“ (Demosth. III, 23.). Xen. Memor. IV, 2, 22: „*οἱ πλεῖστοι τῶν τὰ τοιαῦτα (τὸ χαλκεύειν, τεκταίνεσθαι, σκυτεύειν) ἐπισταμένων ἀνδραποδώδεις εἰσίν.*“ Sympos. 3, 4. inter se opponuntur *καλοκαγαθία* et *τέχνη βαναυσική.* Adde Plutarch. Pericl. 2. init; compar. Arist. et Caton. c. 4. Lucian. Somnium 13. Harmonides 2. Dio Chrysost. orat. VII. §. 108. (Emperius). Dion. Hal. Antiq. II, 28.

stat.[64]) Nam quum *βαναυσίας* vocabuli propria vis ac potestas ea esset, ut illa significaret opificia, quae ignis usu adhibito maxime videbantur corporis vires attenuare,[65]) latius ita patebat illius notio, ut referretur ad omne opificii genus illiberale ac sordidum, quod sine ullo sollertiae et ingenii auxilio ipsa manu corporisque contentione fieret.[66]) Ita fit, ut *βάναυσοι* non differre dicantur ab indocta multitudine[67]) — nam nihil iis relinqui otii, quod conferant ad animos excolendos[68]) —, ut inter se opponantur *βαναυσία* et *καλοκἀγαθία*,[69]) denique ut metaphorice *βάναυσοι* appellentur homines rudes et illiberales.[70]) Quid quod statuarii et pictores artis suae opera ita accommodabant ad communem omnium de opificiis existimationem, ut Apollinis Mercurii Martis aliorum deorum figuras fingerent iuventute decore pulcritudine insignes, Volcanum, ut patronum opificum eundemque opus fabrile facientem, claudum, corpore sordido, igne adustum, foedo habitu deformem?[71])

---

64) Plat. Alcibiad. I, p. 131. b.: „*εἰ σωφροσύνη ἐστὶ τὸ ἑαυτὸν γιγνώσκειν, οὐδεὶς τῶν δημιουργῶν σώφρων κατὰ τὴν τέχνην. Διὰ ταῦτα βάναυσοι αὗται αἱ τέχναι δοκοῦσιν εἶναι, καὶ οὐκ ἀνδρὸς ἀγαθοῦ μαθήματα.*“ Amator. pag. 137 b.: „*ἀλλὰ μὴ ᾖ τοῦτο φιλοσοφεῖν, περὶ τὰς τέχνας ἐσπουδακέναι, οὐδὲ κυπτάζοντα ζῆν· ἐπεί γε ᾤμην καὶ ὄνειδος εἶναι τοῦτο καὶ βαναύσους καλεῖσθαι τοὺς περὶ τὰς τέχνας ἐσπουδακότας.*“ Aristot. Pol. I, 11. pag. 18: „*βαναυσόταται τῶν ἐργασιῶν, ἐν αἷς τὰ σώματα λωβῶνται μάλιστα.*“ V, 2. pag. 131. Eth. Nicom. IV, 4. p. 64. Adde Plat. Sympos. 203 a. Soph. Aiax. 1121. Philostratus, vitae Sophist. I, 15, 2. Polyb. IX, 20. cfr. XII, 13. Dionys. Halic. Antiq. IX, 25. Pollux Onom. VII, 6. Clemens Alex. Strom. I, 4, 26. Aristides de rhetor. II. p. 41, *πρὸς τοὺς αἰτιωμένους* II, p. 574 Dindf. Menander *περὶ ἐπιδεικτικῶν* 96. (rhetor. gr. IX. p. 196 Walz). Lucian. Paras. 26. Dio Chrysost. VII. §. 111. (Emperius). Etym. M. pag. 188, 40: „*βάναυσοι οἱ ἑδραῖοι τεχνῖται.*“

65) Nam *βαῦνος* = *κάμινος*. Bekker, Anecd. Gr. I. pag. 222. Etym. M. pag. 174, 35. 187, 38. Suidas, Hesychius s. vv. *βάναυσος* et *βαῦνος*. Zonaras I. pag. 369 (Tittmann). Schol. ad Plat. de rep. VI, 495 e. (pag. 171. Ruhnken). Hinc Lucian. de sacrif. 6: „*βάναυσος καὶ χαλκεὺς καὶ πυρίτης.*“ Iup. conf. 8: „*βάναυσος καὶ πυρίτης τὴν τέχνην.*“ Cfr. Xenoph. Oecon. 4, 2: „*ἔνιαι τῶν βαναυσικῶν τεχνῶν ἀναγκάζουσι πρὸς πῦρ ἡμερεύειν.*“

66) Galen. Protrept. 14: „*τέχναι τινὲς εὐκαταφρόνητοί εἰσι καὶ διὰ τῶν τοῦ σώματος πόνων, ἃς δὴ βαναύσους ὀνομάζουσιν.*“ Rhetor ap. Walz. rhet. gr. IV. p. 6 fin.: „*αἱ βάναυσοι τέχναι εἰσὶ πρακτικαὶ λόγου μὴ δεόμεναι.*“

67) Antonin. comment. VI, 35: „*οἱ βάναυσοι τεχνῖται ἁρμόζουσιν ἄχρι τινὸς πρὸς τοὺς ἰδιώτας*“ (quamquam hunc locum alii aliter interpretati sunt). Cfr. Plut. praec. polit. tom. IX. p. 199. Reiske.

68) Plat. Amat. 136 b.: „*οἱ δημιουργοὶ διὰ τὴν τοῦ ἑνὸς ἐπιμέλειαν τῶν ἄλλων ἁπάντων ἀπολελειμμένοι εἰσίν.*“ Cfr. Lucian. Fugit. 12. Aristot. Polit. V, 4. pag. 134: „*οἱ λίαν εἰς τὴν ἀθλητικὴν ἀνέντες τοὺς παῖδας βαναύσους κατεργάζονται πρὸς ἓν μόνον ἔργον χρησίμους ποιήσαντες.*“ Plutarch de educ. liber. 11.

69) Xen. Sympos. 3, 4. Alias *βαναυσία* et *παιδεία* Plat. de leg. I, 644 a.: „*ἡ εἰς χρήματα τείνουσα τροφὴ βάναυσός ἐστι καὶ ἀνελεύθερος καὶ οὐκ ἀξία παιδεία καλεῖσθαι.*“ Aristot. Polit. VII, 3. p. 180. Lucian. Somn. 1. Cfr. Krause, *Gymnastik und Agonistik der Hellenen* pag. 27 sqq.

70) [Plat.] Epinomis pag. 976 d.: „*ὁ τὴν σοφίαν λαβὼν οὔτε βάναυσος οὔτ' ἠλίθιος ἔσται.*“ Aristot. Eth. Nicom. IV, 6. pag. 66. inter se opponuntur *βάναυσος* et *μεγαλοπρεπής*, Clem. Alex. Paedag. III, 6. init. *φιλανθρώπως* et *βαναύσως*.

71) Clem. Alex. Protrept. IV, 57. deos ait a statuariis fictos esse *ἐκ τῶν ἐπονειδίστων σχημάτων*, veluti Volcanum *ἀπὸ τῆς τέχνης*. Cfr. eiusdem Strom. I, 2, 29. Arnob. adv. gentes VI, 12. Quamquam non repugnabo, si quis ad Homeri exemplum artifices dei figuram expressisse statuere maluerit. Lucian. de sacrif. 6: „*τὸν Ἥφαιστον ᾄδουσιν οὐ μάλα εὐτυχῆ, ἀλλὰ βάναυσον καὶ χαλκέα καὶ πυρίτην ἐν καπνῷ τὸ πᾶν βιοῦντα καὶ σπινθήρων ἀνάπλεων, οἷα δὴ καμινευτὴν καὶ οὐδὲ ἄρτιον τὼ πόδε.*“ Non deesse ingenuas dei statuas et imagines docet O. Iahn, l. l. pag. 309 sqq.

Atque eadem illiberalitatis nota opifices laborare videbantur, quod mercede victum quaererent;[72]) nam et turpe viroque ingenuo parum dignum putabatur, quae ad vitam sustentandam necessaria essent, aegre quotidiano labore colligere,[73]) et libertas imminui videbatur, si quibus, ne victus deficeret, aliorum gratia et voluntas captanda esset.[74]) Itaque in artem aliquam ad animum excolendum incumbere viri ingenui, eandem mercedis causa aliorum in usum factitare sordidum liberoque homine indignum existimabatur;[75]) quod qui rei familiaris inopia cogebantur facere, ii non sine aliqua contumelia *ἀποχειροβίωτοι* (*ἀποχειρόβιοι*) dicebantur sive *χειροβοσκοί*,[76]) quorum agendi et vivendi ratio esset humilis et a servili condicione non ita longe remota.[77]) Quamobrem multum ad ingenuitatem differre videbantur et ii, qui ipsi in opificio factitando occupati manu tenuem victum quaerebant, ab iis, qui in officinis servos et operarios alebant ad artem aliquam ita exercendam, ut ipsi manum non

---

72) Cfr. Plat. de rep. II, 371 a: *οἱ μισθωτοὶ τὰ τῆς διανοίας οὐ πάνυ ἀξιοκοινώνητοί εἰσιν.*" Cfr. Demosth. XVIII, 51. Avaritiae volgus solebat opifices insimulare. Aristot. Eth. Nicom. IV, 3. pag. 63: „*κοινὸν ἐπὶ τοῖς τὰς ἀνελευθέρους ἐργασίας ἐργαζόμενοις αἰσχροκέρδεια φαίνεται.*" cfr. Plat. de leg. I, 644 a. Dio Chrysost. VII, 111. Exemplo esto Sporgilus tonsor ap. Schol. ad Aristoph. Av. 302 (Dindf.). Hinc latine cerdones (*κέρδος*) dicebantur.

73) Cfr. Aristot. Polit. III. 4. pag. 65: „*οἱ ζῶντες ἀπὸ τῶν χειρῶν, ἐν οἷς ὁ βάναυσος τεχνίτης ἐστίν.*" Lucian. Paras. 13 sqq. et ibi Schol. (IV. p. 216 Iacobitz): „*αἱ βάναυσοι τέχναι πορισμοῦ χάριν, βίου τοῖς κεκτημένοις μεταχειρίζονται.*" Somn. 9: „*ἐργάτης ἔσῃ τῷ σώματι πονῶν κἀν τούτῳ τὴν ἅπασαν ἐλπίδα τοῦ βίου τεθειμένος ἀφανὴς μὲν αὐτὸς ὢν ὀλίγα δὲ καὶ ἀγεννῆ λαμβάνων, ταπεινὸς τὴν γνώμην εὐτελὴς δὲ τὴν πρόοδον.*" ib. 11. Aesch. Socr. dial. 3, 11. Xenoph. Memor. III, 10, 1: „*οἱ τὰς τέχνας ἔχοντες καὶ ἐργασίας ἕνεκα χρώμενοι.*" Adde Cic. de offic. I. 42, 150: „Illiberales et sordidi quaestus mercennariorum omnium quorum operae, non quorum artes emuntur. Opifices omnes in sordida arte versantur: neque enim quidquam ingenuum habere potest officina."

74) Aristot. Rhetor. I, 9. pag. 31: „*ἐλευθέρου σημεῖον τὸ μηδεμίαν ἐργάζεσθαι βάναυσον τέχνην· ἐλευθέρου γὰρ τὸ μὴ πρὸς ἄλλον ζῆν.*" Ethic. Nicom. IV, 8. p. 70: „*δουλικὸν πρὸς ἄλλον ζῆν.*" Polit. III, 4. pag. 65: „*δούλου εἴδη πλείω λέγομεν, ὧν ἓν μέρος ἔχουσιν οἱ χερνῆτες· οὗτοι δ᾽ εἰσὶν οἱ ζῶντες ἀπὸ τῶν χειρῶν.*" Aristid. *πρὸς τοὺς αἰτιωμένους* II, 574. Dindf.: „*οἱ δημιουργοὶ τέχνην ταύτην ἔχουσιν ὑπηρετεῖν τοῖς πολλοῖς.*" Nam, ut ait Antiphon Soph. ap. Xenoph. Memor. I, 6, 3: „*τὰ χρήματα τοὺς κεκτημένους ἐλευθεριώτερον ποιεῖ ζῆν.*" Cic. de Offic. l. l.: „est ipsa merces auctoramentum servitutis" Cfr. Lucian de mercede conductis 1. 7. 22. 23.

75) Plat. Protag. 312 b. Plut. Cimon 4: „*Πολύγνωτος οὐκ ἦν τῶν βαναύσων οὐδ᾽ ἀπὸ ἐργολαβίας ἔγραφε τὴν στοάν, ἀλλὰ προῖκα φιλοτιμούμενος πρὸς τὴν πόλιν.*" Aristot. Polit. V, 6. pag. 141 (Bekker): „*ἀποδοκιμάζομεν τὴν τεχνικὴν παιδείαν· ἐν ταύτῃ γὰρ ὁ πράττων οὐ τῆς αὑτοῦ μεταχειρίζεται χάριν ἀρετῆς, διόπερ οὐ τῶν ἐλευθέρων κρίνομεν εἶναι τὴν ἐργασίαν, ἀλλὰ θητικωτέραν· καὶ βαναύσους δὴ συμβαίνει γίνεσθαι.*" Cfr. III, 4. p. 65. V, 2. p. 131.

76) Xen. Cyrop. VIII, 3, 36. Luc. Somn. 9. „*Ἀποχειρόβιοι οἱ ἐκ χειρῶν ζῶντες ταῖς τέχναις προςκαθήμενοι*" Suidas; *χειροβοσκοί* Pollux Onom. VII, 6. cfr. I, 50; *χειρογάστορες* Hecataeus ap. Polluc. Hesych; *χερνῆται* Aeschyl. Prom. 893 (Dindf.); *χερνῆτες* Suidas. Etym. M. pag. 808, 31. Hesych. Aristot. Polit. III. 4. p. 65. VI. 4. pag. 153 (*τὸ χερνητικόν*); saepius *χειρώνακτες* (*διὰ χειρῶν κτεατιζόμενοι* Suidas).

77) Opificium enim veteres scriptores certatim detrectantes dicunt esse *ἀνδραποδῶδες* (Aristot. Polit. III, 4. pag. 65) *δουλοπρεπὲς καὶ ἀνελεύθερον* (Plat. Gorg. 518 a. Philostr. vit. soph. II, 19; cfr. Strab. XVII, 796: „*τὸ βάναυσον καὶ τὸ ἀνελεύθερον.*" Aristot. de virtut. et vitiis 5: „*βίος θητικὸς ἀνελεύθερος*"), *ἀγεννές* (Aeschin. II, 149. Luc. Somn. 11), *ταπεινὸν καὶ δουλικόν* (Demosth. LVII, 45. Aristot. Polit. V, 2. pag. 131; *δουλοπρεπές* Xen. Apol. Socr. 30); opifices ipsos *χαμαιπετεῖς καὶ χαμαιζήλους καὶ πάντα τρόπον ταπεινούς* (Luc. Somn. 13), *ἀνδραποδώδεις* (Xen. Memor. IV, 2, 22. Aristid. de rhet. II, 42 Dindf.), *ἀνελευθέρους* (Plut. Pericl. 1), *φορτικούς* (Aristot. Polit. V, 7. pag. 143), *ἀσθενεῖς* et *ἄφρονας* (Xen. Memor. III, 7. 5). Plato de rep. III, 405 a. *τοὺς φαύλους καὶ χειροτέχνας* opponit *τοῖς ἐν ἐλευθέρῳ σχήματι τεθραμμένοις.*

admoverent; [78]) et qui cum labore et sudore telluris munera colligebant ab iis, qui locupletes procul negotiis rusticis fruges agrorum convertebant in vitam laute et liberaliter degendam; [79]) denique ii, qui lucelli faciendi causa institores (*κάπηλοι*) vel in foro sedebant vel ostiatim merces venditabant, a mercatoribus et negotiatoribus (*ἔμποροι*), quibus magnis pecuniis in fenore collocatis opes abunde affluebant. [80])

Itaque non mirum, quod omne genus mercennariorum foeda quadam illiberalitatis infamia laborabat, non solum operarii (*θῆτες, πελάται,* omnino *μισθωτοί*, [81]) qui mercede conducebantur ad suscipienda opera servilia, ita ut ipsi paene servorum instar haberentur, [82]) qui iidem ne legum quidem beneficio ita usi esse videntur, ut tuti essent ab iniuriis, [83]) sed etiam ii, qui liberali alicui arti studebant non animi erudiendi aut oblectandi, sed mercedis accipiendae causa. In mercennariorum igitur numerum cum contemptu referebantur magistri, qui pueros literarum elementa docebant (*γραμματισταί*), [84]) omnes ii, qui mercedem pacti ad aliquem se applicuerant sive ut eius liberos erudirent sive ut sua arte et doctrina illum ipsum

---

78) De his infra pluribus disserendum videtur.

79) Cfr. Drumann, *die Arbeiter* pag. 28. Agricolae enim et ipsi inter opifices referuntur (Plat. Laches 195 b. de rep. II, 371 a. III, 415 a. Hippodamus Pythag. ap. Stobae. floril. XXXXIII, 93: „*τῶ βαναύσω καὶ βιοπονατικῶ μέρεος τὸ μέν ἐστι γεωπόνον τὸ δὲ τεχνατικόν*).

80) Xenoph. de vect. 3, 4: „*ἀγαθὸν καὶ καλὸν τιμᾶσθαι ἐμπόρους καὶ ναυκλήρους.*“ Plato quidem omne genus et institorum et mercatorum sua civitate arceri vult (de leg. VIII, 831 e. 842 d. 847 d. 849 c., maxime XI, 918 d.: „*πάντα τὰ περὶ τὴν καπηλείαν καὶ ἐμπορίαν γένη διαβέβληται καὶ ἐν αἰσχροῖς γέγονεν ὀνείδεσιν,*“ adde 919 e.). Contra Cic. de offiic. I, 42, 151: „mercatura si tenuis est, sordida putanda est, sin magna et copiosa, non est admodum vituperanda atque etiam, si ex portu se in agros possessionesque contulit, videtur iure optimo posse laudari.“ Cfr. Becker, Charicles II, pag. 134 sq. (ed. II.).

81) *Μισθωτοί* Demosth. XXXXIX, 52. Plat. Polit. 290 a. Luc. Timon. 7 (*μίσθαρνος* ab Attici sermonis proprietate alienum videbatur; cfr. Thom. Magistr. pag. 176 Ritschl). Hinc *τέχνη μισθωτική* et *μισθαρνητική* Plat. de rep. I, 346 a.—d. cfr. II, 371 e.: „*οἱ πωλοῦντες τὴν τῆς ἰσχύος χρείαν τὴν τιμὴν ταύτην μισθὸν καλοῦντες κέκληνται μισθωτοί.*“ — Iidem *ἐπισίτιοι* dicebantur, si praeter necessaria alimenta nihil iis mercedis dabatur. Athen. VI, 246 f. Plat. de rep. IV, 420 a. Suidas. Hesych.

82) Cfr. Aristot. ap. Phot. s. v. Schol. ad Plat. Eutyphr. pag. 3. Ruhnken. Eutherus a Socrate admonitus, ut mercede suam operam alicui locaret, respondet: „*χαλεπῶς ἂν δουλείαν ὑπομείναιμι*“ (Xen. Memor. II, 8, 4.). Dionys. Halic. II, 9: „*Ἀθηναῖοι ὑπεροπτικῶς ἐχρῶντο τοῖς πελάταις, ἔργα τε ἐπιτάττοντες οὐ προσήκοντα ἐλευθέροις καὶ πληγὰς ἐντείνοντες καὶ τἄλλα ὥσπερ ἀργυρωνήτοις χρώμενοι.*“ Pollux III, 82. Propterea *πελάτας* lexicographi explicant *τοὺς μισθῷ δουλεύοντας* (Suidas. Photius. Eustath. ad Iliad. XXI, 450); de iisdem Dio Chrysosth. XV, 22: „*μυρίοι ἀποδίδονται ἑαυτοὺς ἐλεύθεροι ὄντες, ὥστε δουλεύειν κατὰ συγγραφὴν ἐνίοτε ἐπ' οὐδενὶ τῶν μετρίων, ἀλλ' ἐπὶ πᾶσι τοῖς χαλεπωτάτοις.*“ Sic explicandum censeo *εἰς τὸ κέρδος δουλεύειν* Eurip. Phoeniss. 395. Isidor. Etymol. IX, 4, 31. mercennarios interpretatur eos, qui serviunt accepta mercede.

83) Mercennarius ab Euthyphronis patre vinctus in carcere neglectus fame et frigore absumitur (Plat. Eutyphr. pag. 4 d.); suspendium minitatur aliquis mercennario improbo in Alciphr. Epist. III, 21. Adde eiusdem libri epist. 34.

84) Inter vilissimos homines eos (*τοὺς τὰ πρῶτα διδάσκοντας γράμματα*) habet Lucian. Necyom. 17; quos eosdem peregrinos mercede conductos esse iubet Plato de leg. VII, 804 d. (cfr. C. F. Hermann, *Geschichte der platon. Philosophie* I, 316). Aeschinis patrem literas docentem aegre victum sibi comparasse non sine irrisione affirmat Demosth. XIX, 249, cfr. XVIII, 129. Diog. La. X, 4. Luc. rhet. praec. 10. Plura dabit Drumann, *die Arbeiter* pag. 84 sqq.

afficto liberalitatis splendore illustrarent,[85]) medici[86]) musici pictores statuarii, quos quidem operam artisque opera pretio aliis venditare non pudebat,[87]) poetae, qui a se impetrabant, ut Musis tamquam quaestus faciendi administris abuterentur,[88]) sophistae[89]) omnesque philosophi sapientia et doctrina quaestum facientes,[90]) denique ii, qui orationes scribebant in usum eorum, quibus apud iudices causa erat oranda (λογογράφοι).[91]) Quod idem opprobrium ut fugerent magistratus, quis est quin sciat legum conditores in civitatibus bene constitutis operam in administranda republica nulla mercede proposita collocari voluisse,[92]) apparitores autem male audivisse, quod ipsorum munera pecunia aestimarentur?[93]) Ac ne id quidem quemquam ignorare puto, quanta irrisionis acerbitate comici perstrinxerint eos cives, qui, degeneres quippe a maiorum honestate et simplicitate, et celeri cursu in conciones properarent et iudicatum sortiri vehementer cuperent, non quo patriae officia civilia summo studio praestanda putarent, sed quod inhiarent mercedibus illis concionariae (τὸ ἐκκλησιαστικόν) et iudiciariae (τὸ δικαστικόν)[94]), quibus non sine magno reipublicae detrimento Pericles cives assuefecisse arguitur.[95])

---

85) Lucian. in libello de mercedo conductis acerbe perstringit non solum philosophos, „*ἀλλὰ καὶ γραμματιστὰς καὶ ῥήτορας καὶ μουσικοὺς καὶ ὅλως τοὺς ἐπὶ παιδείᾳ συνεῖναι καὶ μισθοφορεῖν ἀξιουμένους* (§. 4. cfr. 36), *τοὺς ἐν ταῖς οἰκίαις ἐπὶ προφάσει παιδεύσεως δουλεύοντας*“ (apol. de merc. cond. 12), qui manifesto servi *οὐ πολὺ τῶν ἀργυρωνήτων καὶ οἰκοτρίβων διαφέρουσιν* (ib. §. 11).

86) Quorum artem non ingenuam, sed ad alias comparatam *ἐλευθεριωτέραν* dicit Pollux IV, 16; eosdem ut mercennarios (Aristoph. Plut. 408. Aristot. Polit. III, 16. pag. 90; cfr. Soph. Trach. 1001: *χειροτέχνης ἰατορίας*) cum architectis inter *βαναύσους* refert Antonin. comment. IV, 31; nam ne medici quidem ars caret illiberalitatis opprobrio (Plat. Gorg. 512 d. cfr. de rep. III, 405 a.). Cfr. Drumann pag. 109. Medici artem suam publice factitantes dicuntur *δημοσιεύειν* (Plat. Gorg. 514 d. Aristoph. Ach. 1030); post bella Persica enim Athenis medici publice conducebantur et alebantur (Plat. Polit. 259 a. Breitenbach ad Xen. Memor. IV, 2, 5).

87) De musicis cfr. Plut. Pericl. 1. Lucian. de merc. cond. 4, maxime Aristot. Polit. V, 5. pag. 136: „*τοὺς ᾄδοντας καὶ κιθαρίζοντας βαναύσους καλοῦμεν;*“ de pictoribus et statuariis Drumann pag. 81 sqq.

88) Sufficiat commemorasse, quantopere vituperatus sit Simonides, quod Musam operariam (*ἐργάτιν*) reddidisset. Bernhardy, *griech. Literaturgeschichte* II, 512. Drumann pag. 106. De vatibus et auguribus Schoemann, *griech. Alterth.* II, pag. 293 (ed. II.).

89) Plat. Protag. 313 c.: „*ὁ σοφιστὴς τυγχάνει ὢν ἔμπορός τις ἢ κάπηλος τῶν ἀγωγίμων, ἀφ' ὧν ψυχὴ τρέφεται,*“ nam eorum ars est *καπηλικὴ καὶ ἐμπορική* (Sophist. 223 d. 231 d.). Plura de iis afferre supersedere licet Drumanni opera, qui totum hunc quaestionis locum singulari diligentia tractavit (pag. 86 sqq.).

90) Luc. Nigrin. 25: „*οἱ ἐπὶ μισθῷ φιλοσοφοῦντες τὴν ἀρετὴν ὤνιον ὥςπερ ἐξ ἀγορᾶς προτιθέασιν· ἐργασίαι καὶ καπηλεῖαί εἰσιν αἱ τούτων διατριβαί.*“ Cfr. eiusdem libellum de mercede conductis.

91) Schol. ad Aeschin. I, 94: „*οὐκ ἦν ἀστεῖον τὸ λογογραφεῖν οὐδὲ τὸ συνηγορεῖν μισθοῦ*“ (pag. 270. edit. Schultz.). Demosthenem petulanter propter hoc ipsum irrisit Aeschines (A. Schäfer, Demosthenes I. p. 310). Plura congessi ad Lysiam, proleg. pag. 6. nota 37.

92) Plat. de rep. I, 347 b.: „*τὸ φιλάργυρον ὄνειδος λέγεταί τε καὶ ἔστιν. Διὰ ταῦτα οὐ χρημάτων ἕνεκα ἐθέλουσιν ἄρχειν οἱ ἀγαθοί· οὐ γὰρ μισθωτοὶ βούλονται κεκλῆσθαι.*“ Athenienses, quum everso quadringentorum virorum imperio rempublicam bene et prudenter ordinarent, severa lege magistratus mercedem accipere vetuerunt (Thucyd. VIII, 97).

93) Demosth. XIX, 249: „*ὑπογραμματεύοντες καὶ ὑπηρετοῦντες πάσαις ἀρχαῖς ἀργύριον εἰλήφασιν.*“ Cfr. Plutarch. compar. Aristidis et Catonis c. 6: „*ὑπηρέται δημοσιεύοντες ἐπὶ μισθῷ.*“

94) Aristoph. Plut. 329: „*τριωβόλου εἵνεκα ὠστιζόμεσθ' ἑκάστοτ' ἐν τἠκκλησίᾳ*“ multisque aliis locis. Diod. II, 74. Böckh, *Staatshaushalt* I, 245 sqq. Schömann, de comitiis Atheniensium pag. 65 sqq. Fritzsche, de mercede iudicum apud Athenienses (Rostock 1839). Non deerant, qui hanc mercedem indigne ferentes re-

Ea quae adhuc disputavi ut paucis complectar, tres potissimum fuerunt causae, cur opifices parum honesta fama apud ceteros usi essent, prima quod prae negotiis victusque comparandi contentione non satis vacabant reipublicae, altera quod eorum et corpora et animi assiduo labore videbantur debilitari, tertia quod mercede operam suam aliis locantes quasi in servitutem quandam se dare existimabantur. Qua in re quamquam Graecos non fugiebat, interesse aliquid inter liberaliores et illiberales sordidasque artes [96]) neque eodem loco esse habenda splendida Zeuxidis Parrhasii Phidiae artificia atque vilia tinctorum lapidariorum figulorum opera, [97]) tamen ne summos quidem artifices ita arte nobilitatos putabant, ut eos omni illiberalitatis crimine liberarent; [98]) neque enim, quia artificia delectarent oculos et animos, idcirco artifices ipsos magni esse faciendos. [99]) Itaque vel praestantissimi pictores statuarii toreutae et in unum ordinem rediguntur cum infimis opificibus [100]) et eodem quo illi nomine *χειροτέχναι, δημιουργοί*, [1]) quin etiam *βάναυσοι* [2]) appellantur, ita ut Lucianus in eo libello, qui *περὶ τοῦ*

---

cusarent (Athen. VI, 247 f. Isocr. XV, 152), sed plures, quo magis sublata ex republica temperantia degenerabat populus — popularis enim imperii eiusque non bene constituti haec *μισθοφορία* propria esse videbatur (Aristot. Polit. VII, 2. pag. 180: „*δημοκρατίας ὁρισμὸς τὸ μισθοφορεῖν πάντας, ἐκκλησίαν δικαστήρια ἀρχάς,*“ cfr. [Xen.] de rep. Athen. I, 3) — eo cupidius illam captabant. Isocr. VIII, 130. (cfr. VII, 54. 82).

95) Aristot. Polit. II, 12. pag. 56: „*τὰ δικαστήρια μισθοφόρα ἐποίησε Περικλῆς.*“ Plat. Gorg. 515 e. Sintenis ad Plut. Pericl. pag. 99.

96) Aristot. Polit. I, 11. pag. 18: „*εἰσὶ τεχνικώταται μὲν τῶν ἐργασιῶν ὅπου ἐλάχιστον τῆς τύχης, βαναυσόταται δ' ἐν αἷς τὰ σώματα λωβῶνται μάλιστα, δουλικώταται δ' ὅπου τοῦ σώματος πλεῖσται χρήσεις, ἀγεννέσταται δ' ὅπου ἐλάχιστον προσδεῖ ἀρετῆς,*“ cfr. V, 2. pag. 131: „*ἐλεύθερα ἔργα — ἀνελεύθερα.*“ Menander *περὶ ἐπιδεικτικῶν* 96 (Walz, rhet. gr. IX, pag. 196): „*βάναυσοι τέχναι — ἐλεύθεραι.*“ Plat. Phileb. 55 d.: „*καθαρώτεραι τέχναι — ἀκαθαρτότεραι.*“ Pollux Onom. IV, 16. Galen. Protrept. 14. Himerius Sophista orat. XII, 2: „*δημιουργοὶ μουσικοὶ — χειρώνακτες.*“

97) Isocr. XV, 2: „*παραπλήσιον ποιοῦσιν ὥσπερ ἂν εἴ τις Φειδίαν τὸν τὸ τῆς Ἀθηνᾶς ἕδος ἐργασάμενον τολμῴη καλεῖν κοροπλάθον, ἢ Ζεῦξιν καὶ Παρράσιον τὴν αὐτὴν ἔχειν φαίη τέχνην τοῖς τὰ πινάκια γράφουσιν.*“ Cfr. Aristot. Eth. Nicom. VI, 7. pag. 107 Bekker.

98) Plat. de rep. VII, 522 b.: „*αἱ τέχναι βάναυσοί που ἅπασαι δοκοῦσιν εἶναι.*“

99) „*Οὐκ ἀναγκαῖον, εἰ τέρπει τὸ ἔργον ὡς χάριεν, ἄξιον σπουδῆς εἶναι τὸν ἐργασάμενον*“ Plut. Pericl. 2; „*πολλάκις χαίροντες τῷ ἔργῳ τοῦ δημιουργοῦ καταφρονοῦμεν*“ ib. c. 1.

100) Plat. Alcibid. II, 140 b.: „*σκυτοτόμους καὶ τέκτονας καὶ ἀνδριαντοποιοὺς καὶ ἑτέρους παμπληθεῖς δημιουργοὺς ὑπολαμβάνομεν.*“ Gorg. 503 d.: „*τοὺς ζωγράφους, τοὺς οἰκοδόμους, τοὺς ἄλλους πάντας δημιουργούς.*“ Adde Xen. Mem. III. 10: („*οἱ ταῖς τέχναις ἐργασίας ἕνεκα χρώμενοι· ζωγράφος, ἀνδριαντοποιός, θωρακοποιός*“), Oecon. VI, 13. Plut. de fort. 4. Dio Chrysost. XII, 44. Clem. Alexandr. Protrept. IV, 58.

1) Phidias appellatur *δημιουργός* Plat. Hipp. I, 290 a. Plut. Pericl. 13. Himerius Sophista XXI. 4. (opifex Cic. Tuscul. I, 15, 34), quem Dio Chrysost. XII, 69. ipsum dicentem fecit se esse illiberali loco ortum (*γένος χειρωνακτικὸν καὶ δημιουργικόν*); nam *δημιουργοὺς ἐκάλουν τοὺς τὰ δημόσια ἐργαζομένους, ποτὲ δὲ καὶ τοὺς ἀρχιτέκτονας* Schol. ad Aristoph. Equit. 656 (Dindf.); cfr. [Demosth.] LXI, 16. Basilium de legendis libris gentilium c. 7. med. Polyclitus *δημιουργός* Plat. Protag. 328 c. Phidias, Lysippus alii *χειρουργοί* apud Suidam; statuarius quidam *δημιουργός* Demosth. XIX, 251; cfr. Plotin. XXVIII, 1. Adde Plat. de rep. III, 401 a. VI, 493 d. (*ποίησις ἤ τις ἄλλη δημιουργία*) VII, 529 e. Cic. de nat. deor. I, 27, 77: „poetae pictores opifices“ (i. e. statuarii). Vocc. *χειρουργός* et *χειρουργία* de artificibus et artificiis saepe usum esse Aelianum exemplis probavit F. Iacobs ad Aelian. histor. animal. tom. II. pag. 432. 504.

2) Clem. Alex. Protrept. X, 98 Phidiam Polyclitum Praxitelem Apellem dicit tractasse *τὰς βαναύσους τέχνας.*

ἐνυπνίου inscribitur, Institutionem (*Παιδείαν*) adulescentulum de fugiendo opificio his verbis fecerit admonentem: Fac te Phidiam et Polyclitum evadere et admirabilia opera exigere: qualiscunque fueris, sordidus opifex mercennariusque manibus victum quaerens habeberis. 3) Quid quod sermonis graeci proprium est, nullo artificii et opificii discrimine facto utrumque uno eodemque vocabulo *τέχνης* significare? Quid plura? Tanta erat facta morum mutatio, ut quae opificia Solon quantum poterat civibus commendaverat, iis iam cives prohibendi viderentur, 4) quasque artes ille filios patrum cura doceri voluerat, ea iam omnino indignae putarentur adulescentulo ad liberalitatem et humanitatem rite instituendo; 5) neque facile quisquam nisi dura necessitate imperante iam eam inibat vitae rationem, quam sciebat sordidam videri plurimis et neglecta illa Solonis lege palam exprobranda; 6) ita ut, si quis ut vitam toleraret confugerat ad quaestum illiberalem, id ipsum vehementer conquereretur. 7) Quae necessitas quamquam effecit, ut extincto Graeciae flore, inde ab eo tempore, quo Graeci Macedonibus servire assueverant, opificiis artibusque mercennariis maior honos haberetur, 8) tamen qui vere ingenui et esse et haberi volebant nunquam desierunt illa a viro liberali aliena existimare.

Caput III.

Quoniam qnid iudicaverint Graeci de opificibus et opificio satis exposuisse videor, nunc **qui potissimum Athenis opificia tractaverint** disseram. Ac philosophos quidem vidimus docuisse, in optima civitate civibus in opificiis non esse versandum; nam quamvis necessaria essent illa quum ad singulorum civium vitam commoditate et iucunditate exornandam, tum ad universam civitatem continendam, 9) quae ne stare quidem posset sine artibus et opi-

---

3) Somn. 9: „*βάναυσος καὶ χειρῶναξ καὶ ἀποχειροβίωτος.*“

4) Plato in libro de optimis legibus composito cives vetat tractare opificia VIII, 846 d.: „*μηδεὶς ἐπιχώριος ἔστω τῶν περὶ τὰ δημιουργικὰ τεχνήματα διαπονούντων.*“ de rep. VIII, 547 d. Aristot. Polit. IV, 9. pag. 108: „*ἐν τῇ κάλλιστα πολιτευομένῃ πόλει οὐ βάναυσον βίον δεῖ ζῆν τοὺς πολίτας.*“

5) Plut. Pericl. 2: „*οὐδεὶς εὐφυὴς νέος τὸν ἐν Πίσῃ θεασάμενος Δία γενέσθαι Φειδίας ἐπεθύμησεν.*“ Socrates vehementer in Anyto vituperabat, quod filium artem sutoriam docendam curaret. (Xen. Apol. Socr. 29. 30). Luc. Somn. 18. [Demosth.] epist. 4, 1: „*Θηραμένης θρασὺς μὲν τὸν βίον, ἐν ἐργαστηρίῳ δὲ τεθραμμένος ἐκ παιδός.*“ Cfr. Tacit. Annal. IV, 13.

6) Cfr. ex. gr. Demosth. XIX, 238. LVII, 30. 32. Aeschin. II, 149. Philostr. vit. Sophist. I, 26. Apud Aristoph. Plut. 905 sycophanta interrogatus, num opificio aliquo vitam sustentaret, hoc aegre ferens graviter respondet: „*οὐ μὰ τὸν Δία.*“

7) Eutherus ap. Xen. Memor. II, 8, 1: „*ἐπειδὴ*“ inquit, „*ὁ πατήρ μοι οὐδὲν κατέλιπεν, ἀναγκάζομαι νῦν τῷ σώματι ἐργαζόμενος τὰ ἐπιτήδεια πορίζεσθαι.*“ Euxitheus ap. Demosth. LVII, 31: „*ὁμολογοῦμεν καὶ ταινίας πωλεῖν καὶ ζῆν οὐχ ὅντινα τρόπον βουλόμεθα.*“ (cfr. 35). Contra summopere laetatur ap. Aristoph. Plut. 617 Blepsidemus, quod divitias necopinato adepto sibi liceat valedicere egestati et opificio.

8) Athen. I, 19 b.: „*Ἀριστόνικον τὸν Ἀλεξάνδρου συσφαιριστὴν Ἀθηναῖοι πολίτην ἐποιήσαντο διὰ τὴν τέχνην. τὰς γὰρ βαναύσους τέχνας Ἕλληνες ὕστερον περὶ πλείστου μᾶλλον ἐποιοῦντο ἢ τὰς κατὰ παιδείαν γινομένας ἐπινοίας.*“

9) Nam „*τυγχάνει ἡμῶν ἕκαστος οὐκ αὐτάρκης ἀλλὰ πολλῶν ἐνδεής*“ Plat. de rep. II, 369 b.; opifices igitur (quos grammatici explicant *τοὺς τὰ μὴ ὄντα ποιοῦντας*. Hesych. Schol. ad Demosth. XVIII, 157 tom. II,

ficiis:[10]) tamen opifices ipsos dignitate longe inferiores esse iis, qui rempublicam aut administrarent aut defenderent,[11]) atque prohibendos maxime omni munere civili,[12]) sin id fieri non posset, magistratibus et sacerdotiis;[13]) ei vero civitati optime consultum videri, in qua etsi non servis publicis[14]) at inquilinis (*μέτοικοι*) opificia permissa essent.[15])

Neque videtur dubium, quin Athenis inquilini maximam partem versati sint in opificiis tractandis, mercatura factitanda, arte institoria exercenda aliisque id genus negotiis. Quum enim Solonis iam aetate spe civitatis allecti non pauci peregrini in urbem commigrassent, maxime postquam Clisthenes civitatem Solonis legibus restitutis et ex parte mutatis ordinavit,[16]) undique Athenas se suaque omnia conferebant quos aut patriae taedebat aut invitabat spes quaestus faciendi; quibus omni modo publice subveniendum esse intelligebant ii reipublicae gubernatores, qui quum non ignorarent civitatem maritimam opificiis carere non posse, cives autem illa nisi necessitate cogente fere non subire, quam plurimos peregrinos undique arcessendos putabant,[17]) praeter ceteros Themistocles[18]) et Pericles.[19]) Itaque post Periclis aetatem urbs redundabat inquilinis, quos non solum ex reliqua Graecia sed etiam a barbaris Athenas commigrasse constat;[20]) quos plerosque omnes ad opificia et mercaturam se

---

pag. 82. ed. Turic.; cfr. Xen. Memor. II, 7, 5) suppeditant ceteris ea quibus opus est; quae etiamsi quis sua ipse manu fabricarit, tamen melius ea perficiet, qui artem rite didicerit. (Plat. de rep. II, 370 b. 374 b. Apol. Socr. 22 d.)

10) Aristot. Polit. II, 8, pag. 42: „*τεχνίτας ἀναγκαῖον εἶναι· πᾶσα γὰρ δεῖται πόλις τεχνιτῶν.*“ VI, 4. pag. 151: „*ἄνευ τῶν τεχνῶν πόλιν ἀδύνατον οἰκεῖσθαι.*“ Plat. de rep. II, 369 b.—373 d. cfr. de leg XI, 920 d. e. Epinom. 975 c. (Maximus rhetor. ap. Walz. rhetor. gr. V, pag. 233.) Maritimis civitatibus praeter ceteras opifices omnis generis opus sunt. Plat. de rep. II, 371 a. cfr. de leg. III, 678 c.

11) Plat. de rep. III, 415. Aristot. Polit. IV, 9. ed. Bekker.

12) Aristot. Polit. IV, 9. pag. 109: „*τὸ βάναυσον οὐ μετέχει πόλεως.*“

13) Aristot. l. l.: „*οὔτε γεωργὸν οὔτε βάναυσον ἱερέα καταστατέον· ὑπὸ γὰρ τῶν πολιτῶν πρέπει τιμᾶσθαι τοὺς θεούς.*“

14) Aristot. Polit. II, 7, pag. 40: „*φαίνεται ὁ νομοθέτης κατασκευάζων τὴν πόλιν μικράν, εἴ γ' οἱ τεχνῖται πάντες δημόσιοι ἔσονται.*“ Epidamni in Dorica colonia (Kortüm, *hellen. Staatsverfassungen* pag. 117) opificia a servis publicis tractabantur (Aristot. l. l.).

15) Plat. de leg. VIII, 850 a.: „*ἰέναι τὸν βουλόμενον εἰς τὴν μετοίκησιν ἐπὶ ῥητοῖς, ὡς οἰκήσεως οὔσης τῶν ξένων τῷ βουλομένῳ καὶ δυναμένῳ μετοικεῖν τέχνην κεκτημένῳ.*“

16) Aristot. Polit. III, 2. pag. 61: „*Κλεισθένης πολλοὺς ἐφυλέτευσε ξένους καὶ δούλους μετοίκους.*“ Cfr. Schömann, *Verfassungsgesch. Ath.* pag. 69.

17) [Xen.] de rep. Athen. I, 12: „*ἡ πόλις δεῖται τῶν μετοίκων διά τε τὸ πλῆθος τῶν τεχνῶν καὶ διὰ τὸ ναυτικόν.*“

18) Diod. XI, 43. Cfr Apostol. Proverb. XIV, 19. (corp. paroemiogr. II, pag. 611. v. Leutsch.): „*νόμος ἦν Ἀθήνησι ξένους εἰςδέχεσθαι τοὺς βουλομένους τῶν Ἑλλήνων.*“ Quamquam non iure contendit, eum populo persuasisse, ut inquilini essent *ἀτελεῖς*, i. e. ut eximerentur muneribus illis publicis, quae *λειτουργίαι* dicebantur. Cfr. Böckh, *Staatshaush.* I, pag. 448.

19) Lys. XII, 4. Ipse Pericles in epitaphio ap. Thucyd. II, 39. gloriatur Atheniensium urbem nulli non aperiri („*τὴν πόλιν κοινὴν παρέχομεν*“); qui quanto studio multitudinem („*τὸν ἀσύντακτον καὶ βάναυσον ὄχλον*“) ad artes opificiaque converterit, copiosa oratione docet Plutarch. Pericl. 12. Parum recte de Pericle disputavit Reitemeier, *Geschichte der Sclaverei in Griechenland (Berlin 1789)* pag. 60.

20) Multos Lydos Phryges Syros aliosque barbaros inter inquilinos fuisse testatur Xen de vectig. 2, 3. Adde Aegyptium Demosth. XXI, 163. Cfr. Diod. XI, 43. De Cnidiis, quorum multos in Ceramico artem figlinam exercuisse scimus, vide Thiersch. in act. academ. liter. bavar. II, 3 (1838) p. 830 sqq.

applicuisse quum alii testantur tum is qui librum de vectigalibus (πόροι) composuit, sive Xenophon fuit sive Eubulus Anaphlystius.[21])

At quamvis multi undique in urbem confluerent peregrini operamque ibi in aliquo opificii vel mercaturae genere collocarent:[22]) tamen non idcirco cives illis plane abstinuisse existimandi sunt; nam in numero civium, maxime quum bello Peloponnesiaco civitatis opes exhaustae essent, non pauci rei familiaris angustiis premebantur; qui non mirum est quod, ut penuria se liberarent, opportunitate quam urbs maritima praebebat utebantur, ut opificiis aliquid lucri caperent.[23]) Coquinariam artem[24]) et figlinam[25]) antiquitus cives exercuisse tradiderunt auctores luculenti; inter Acharnenses multos fuisse carbonarios docemur ab Aristophane.[26]) Itaque in conciones frequentes conveniebant opifices de rebus publicis deliberaturi;[27]) qui quum parum idonei viderentur ad perspicienda ea quae reipublicae vere salutaria essent, Plato[28]) qua solet acerbitate rei perversitatem perstrinxit; quin etiam multum nonnullos, qui sua ipsorum manu opera sive faciebant sive fecerant, apud volgus auctoritate valuisse scimus,[29]) velut Hyperbolum lucernarum fabrum eundemque figulum,[30]) Lysiclem

21) Xenoph. (Eubulus sec. Hermann. Hagen, Eos II, 2, 149 sqq.) de vectig. II, 2. Mercaturam factitat inquilinus ap. Lys. XXII, 5; Fullonicam exercet Pancleo inquilinus ap. eund. XXIII, 2. Cfr. infra pag. 22 init.

22) Nam alliciebant eos ipsa Atheniensium instituta et mores. Xen. de vectig. 3, 2. 5, 4. Dicaearch ap. Müller, histor. gr. fragm. II. pag. 225. Cfr. Böckh, *Staatsh.* I. pag. 110 sqq. Hüllmann, *Handelsgeschichte* 146 sqq.

23) Idem observamus in aliis civitatibus maritimis, velut Corinthi (Duncker, *Gesch. des Alterth.* III, 448. 449. Hüllmann, *Handelsgesch.* 51. St. Iohn, The Hellenes III, 253), Megaris (Xen. Memor. II, 7, 6), in insula Cypro Evagora regnante (Isocr. IX, 47). De Atheniensium civitate non consentit Büttner, *d. polit. Hetaerieen* p. 46.

24) Athen. XIV, 659 a. 661 d.

25) Philochorus ap. Harpocrat. et Suidam s. v. *Κεραμεῖς* tradidit, pagum Ceramicum nomen habuisse *ἀπὸ τῆς κεραμικῆς τέχνης.* Pagi nomen quum procul dubio antiquius sit eo tempore, quo peregrinorum multitudo in urbem convenerat, sequitur, ut illi figuli antiquitus cives fuerint. Cfr. Schömann, *Verfassungsgesch. Athens* pag. 9. et supra not. 20.

26) Ach. 213. 332. al. Inter Marathonios multos fuisse restiones colligi licet ex Aristoph. Ran. 1298. At non assentiendum videtur St. Iohnio, qui ex Athen. XIII, 580 c. apparere existimat, laniariam quoque artem a civibus tractatam esse (The Hellenes III, 111: „The trade of butcher was carried on at Athens by citizens"); nam *κρεοπώλης ἀστεῖος* apud Athenaeum non „civilis," sed „venustus" est laniarius.

27) Plut. Solon 18. Aeschin. I, 27. Aristot. Polit. VII, 4. pag. 183: *„τὸ πλῆθος τῶν βαναύσων καὶ τὸ θητικὸν διὰ τὸ περὶ τὴν αγορὰν καὶ τὸ ἄστυ κυλίεσθαι ῥαδίως ἐκκλησιάζει."* Socrates (ap. Xen. Memor. III, 7, 5) Charmiden his verbis admonuit, ne animo deficeret, quum apud populum verba esset facturus: *„μὴ αἰσχύνου λέγειν ἐν τοῖς ἀφρονεστάτοις τε καὶ ἀσθενεστάτοις· πότερον γὰρ τοὺς γναφεῖς αὐτῶν ἢ τοὺς τέκτονας ἢ τοὺς χαλκεῖς ἢ τοὺς γεωργοὺς ἢ τοὺς ἐμπόρους αἰσχύνῃ, ἐκ γὰρ τούτων ἁπάντων ἡ ἐκκλησία συνίσταται."* (Similia narrat Aelian. var. hist. II, 1.) Exemplo est Micyllus sutor ap. Lucian. Gall. 22.

28) Plat. Protag. 319 d. 324 c. Apol. Socr. 23 e., ubi recte defenderunt Stallbaum et Cron *καὶ τῶν πολιτικῶν;* notat enim philosophus cum irrisione quadam Atheniensium perversitatem, qui opifices rempublicam capessere patiantur. Contra Pericles in epitaphio ap. Thucyd. II, 40. hoc ipsum laudat in Atheniensibus, quod quamvis occupati in privatis negotiis tamen plus aliis in republica videant.

29) Aristoph. Eq. 739 sq.: *„σὺ (ὁ δῆμος) τοὺς καλοὺς κἀγαθοὺς οὐ προσδέχει, σαυτὸν δὲ λυχνοπώλαισι καὶ νευρορράφοις καὶ σκυτοτόμοις καὶ βυρσοπώλαισιν δίδως."*

30) Hyperbolus ὁ *λυχνοποιός.* Aristoph. Pax 690. Schol. ad Aristoph. Nub. 1055 (Dindf.). Andoc. ap. Schol. ad Vesp. 1042. Schol. ad Luc. Timon. 30 (IV, pag. 46 Iacobitz); *λυχνοπώλης* Schol. ad Pac. 682. 693; *κεραμεύς* Schol. ad Eq. 1315. Cfr. Meineke, fragm. com. graec. I, pag. 189 sq.

cerdonem oviumque venditorem,[31]) Cephalum figulum,[32]) Anytum sutorem,[33]) Eucratem stuppae venditorem,[34]) Diitrephem ampullarium, Phrynichum, quem narrant ex opilione factum esse optimatium principem.[35]) Quod hominum genus quam acerbe Aristophanes irriserit in equitibus Agoracrito fartore ad eorum similitudinem expresso, non est quod pluribus exponam.

Ab his civibus in artibus opificiisque occupatis monendum est et vitae condicione et ingenuitatis fama diversos fuisse eos, qui plerique divitiores in officinis (*ἐργαστήρια*) alebant servos alicuius opificii peritos (*δοῦλοι χειροτέχναι* sive *τεχνῖται*). Qui quum manum operi omnino non admoverent[36]) eumque fructum ex servorum labore perciperent, unde et laute viverent et quum artibus liberalibus tum omni muneri civili vacarent,[37]) non in eodem quo opifices ipsi vivebant contemptu; nam non magis illos opifices esse iudicabant quam eos, qui agros amplissimos a mercennariis colendos curarent, agricolas. Hanc quaestus faciendi rationem, quippe quae non indigna videretur ingenuo homine, admodum multos cives sibi elegisse quum Thucydides docet, qui bello deceleensi tradidit viginti milia servorum eosque maximam partem opifices ad Lacedaemonios transfugisse,[38]) tum patet ex plurimis exemplis. Demosthenis oratoris pater duas possedit officinas, alteram in qua lecticas, alteram in qua cultros et gladios servi fabricabant,[39]) Theodorus Isocratis pater aluit servos tibias fabricantes,[40]) uterque opulentia inter cives excellens;[41]) Cleaenetus Cleonis pater servos coriarios,[42]) Euphemus

31) *Προβατοπώλης* Aristoph. Eq. 132. Plut. Pericl. 24. Hesych. Suid. s. v. *προβατοπώλης*. Schol. ad Aristoph. Eq. 749. 750. 775 Dindf.

32) Aristoph. Eccles. 248. 252. (Schol. figuli filium eum fuisse narrat.)

33) Anytus *βυρσοδέψης* Schol. ad Plat. Memor. 90 a.; „*πλούσιος ἦν ἐκ σκυτοδεψικῆς*“ Schol. ad Plat. Apol. 18 b. Quem non officinam possedisse, sed sua ipsius manu artem exercuisse colligitur ex Plat. Apol. 23 e. et Xenoph. Apol. Socr. 29. Idem apud populum plurimum valebat auctoritate et gratia. (Xen. l. l. et Hellen. II, 3, 42. Isocr. XVIII, 23.)

34) Kock ad Aristoph. Eq. 129. De Diitrephe adi eundem ad Av. 798.

35) [Lys.] XX, 11.

36) Xen. de vectig. 4, 22: „*πολλοὶ Ἀθηναῖοι τῷ σώματι μὲν οὔτε βούλοιντ' ἂν οὔτε δύναιντ' ἂν ἐργάζεσθαι, τῇ δὲ γνώμῃ ἐπιμελούμενοι ἡδέως ἂν τὰ ἐπιτήδεια πορίζοιντο.*“ Quod Plato de leg. VIII, 846 e. postulat, ut qui servos alat in aliqua arte occupatos, eandem et ipse calleat: id non esse dicit philosophus, sed esse debere.

37) Xen. Memor. II, 7, 3. 6, maxime Aristot. Polit. I, 7. pag. 10: „*ἃ τὸν δοῦλον ἐπίστασθαι δεῖ ποιεῖν, τὸν δεσπότην δεῖ ταῦτα ἐπίστασθαι ἐπιτάττειν· διὸ ὅσοις ἐξουσία μὴ αὐτοὺς κακοπαθεῖν, ἐπίτροπος* (i. e. officinae praefectus) *λαμβάνει ταύτην τὴν τιμήν, αὐτοὶ δὲ πολιτεύονται ἢ φιλοσοφοῦσιν.*“ Exempli gratia Lysias et Polemarchus fratres, qui officinam scutariam (*ἀσπιδοπηγεῖον*) possidebant, alter rhetoricis alter philosophiae studiis se dederant. (Prolegom. ad Lys. pag. 2. 4).

38) Thucyd. VII, 27.

39) Demosth. XXVII, 9. Plutarch. Demosth. 4. Vit. X orat. pag. 836 e. Qui quamvis officinae possessor tamen existimabatur *καλὸς κἀγαθὸς ἀνήρ* Theopomp. ap. Plut. l. l.

40) Vit. X orat. l. l. Dionys. Halic. iudic. de Isocr. 1.

41) Plut. l. l. Isocr. XV, 161.

42) „*Ἐργαστήριον δούλων βυρσοδεψῶν*“ Schol. ad Aristoph. Eq. 44. Quam officinam ex hereditate accepit filius, hinc *ὁ βυρσοπώλης* dictus Aristoph. Pax 270. 648. Argum. II. ad Aristoph. Eq.

apud Andocidem [43]) fabros ferrarios; Lysias denique et Polemarchus fratres, inquilini *ἰσοτελεῖς*, centum et viginti servos scutorum faciendorum artem callentes. [44])

Quos officinarum possessores, quum eos non fortuna solum sed etiam existimatione opificibus ipsis superiores visos esse parum perspectum haberent, nonnulli viri docti in horum numerum referendos putarunt, [45]) decepti, opinor, partim comicorum irrisione, qui per ludibrium de fama eorum ita detrahere solebant, ut iis dedecus eiusdem opificii affingerent et exprobrarent, quod tractabant illorum servi; partim adversariorum invidia et malitia, quos constat isdem artibus usos esse ad liberalitatis laudem deminuendam. [46]) Itaque Cleon propterea quod eius servi coria depsebant, [47]) sive per ludibrium sive cum invidia ipse appellabatur *βυρσοδέψης*; [48]) Cleophon, qui extremo bello deceleensi populi causam egit, *λυροποιός*; [49]) Demosthenis pater *μαχαιροποιός*, [50]) Isocratis *αὐλοποιός*, [51]) Sophilus, Sophoclis pater, cui servi fabricabant gladios et omne genus operis fabrilis, *μαχαιροποιός* et *χαλκεύς*. [52]) Qua in re eo processerunt iniquitatis, ut vel filiis eam artem, quam pater servorum manu exercuerat, opprobrio verti debere opinarentur. [53])

---

43) I, 40. (*ἐν τῷ χαλκείῳ*, h. e. in sua officina ferraria, ubi Valckenarius articulum male mutavit in pron. indefinitum.)

44) Lys. XII, 8. 19. Iis quos in dissertationis contextu nominavi addo Leocratem (*χαλκοτύποι* Lycurg. adv. Leocr. 58), Cononem (*ἀνδράποδα σακχυφάνται* et *φαρμακοτρίβαι* Demosth. XXXXVIII, 12), Pasionem (*ἀσπιδοπηγεῖον* Demosth. XXXVI, 4. cfr. XXXXVI, 27), Pantaenetum (Demosth. XXXVII, 25 sq.), Timarchum (*οἰκέται δημιουργοὶ τῆς σκυτοτομικῆς τέχνης* Aeschin. I, 97), Euctemonem (Isae. VI, 33). Multos nominat Socrates ap. Xenoph. Memor. II, 7, 3—6. cfr. III, 11, 4. Alios infra commemorabo.

45) G. W. Müller in Encycl. Erschii et Gruberi sect. II, part. 2, pag. 153. Boeckh, *Staatsh.* I, 66.

46) Recte de hac re iudicaverunt Halbertsma, quaestiones Isocrateae, in Mnemosyne IV, pag. 218 sq. Thiersch, in act. acad. liter. bavar. tom. II, 3. (1838) pag. 838. Cfr. Drumann pag. 63. C. F. Hermann, *griech. Antiq.* III, pag. 215.

47) Recte Schol. ad Aristoph. Eq. 44: „*ἐπειδὴ ὁ πατὴρ αὐτοῦ ἐργαστήριον εἶχε δούλων βυρσοδεψῶν.*“ Schol. ad Luc. Timon. 30 (IV, pag. 48 Iacobitz). Cfr. Fr. Kortüm, *geschichtliche Forschungen im Gebiete des Alterthums, herausgegeben von Reichlin-Meldegg (Leipzig 1863)* p. 5 sq.

48) Aristoph. Eq. 44. alias Nub. 581. Cfr. supra not. 42.

49) Andoc. I, 146. Aeschin. II, 76. Schol. ad Aristoph. Ran. 693.

50) Libanius, vit. Demosth. ap. Westermann. vitarum scriptores minores pag. 293: „*ἐργαστήριον οἰκετῶν μαχαιροποιῶν κεκτημένος ἐντεῦθεν τὴν τοῦ μαχαιροποιοῦ κλῆσιν ἔλαβε;*“ adde Zosimum ib. pag. 297. Suidam ib. pag. 310. biographum anonymum ib. pag. 303. Plut. Demosth. 4. Aeschin. II, 93. Lucian. rhet. praec. 10. Cfr. Iuvenal. X, 130. (C. F. Hermann, *griech. Antiq.* III, 216. not. 10.) Eodem nomine notabatur Panaetius quidam, qui servos cultris faciendis aluisse videtur (Kock ad Aristoph. Av. 440).

51) Philostr. vit. Soph. I, 17, 4. Biographus anonymus ap. Westerm. l. l. pag. 253. Suidas ib. pag. 259. Aristoph. fragm. 566 (Dindf.).

52) Biogr. Sophoclis ap. Westermann. l. l. pag. 126: „*Σόφιλος οὔτε, ὡς Ἀριστόξενός φησι, τέκτων ἢ χαλκεὺς ἦν, οὔτε ὡς Ἴστρος, μαχαιροποιὸς τὴν ἐργασίαν, τυχὸν δ' ἐκέκτητο δούλους χαλκεῖς ἢ τέκτονας.*“

53) Isocrates ipse *αὐλοτρύπης* appellatur a Strattide comico ap. Athen. XIII, 592 d. (Cfr. Philostr. l. l.: „*οἱ ἡγούμενοι τὴν κωμῳδίαν καθάπτεσθαι τοῦ ἀνδρὸς ὡς αὐλοποιοῦ, ἁμαρτάνουσιν· πατὴρ μὲν γὰρ αὐτῷ ἦν Θεόδωρος, ὃν ἐκάλουν αὐλοποιὸν Ἀθήνησιν, αὐτὸς δὲ οὔτε αὐλοὺς ἐγίγνωσκεν οὔτε ἄλλο τι τῶν ἐν βαναυσίοις*“). Demosthenes *μαχαιρουργοῦ παῖς* et *βάναυσος* a Demade ap. Ioannem Tzetzam, Chiliades VI, 134. Magis etiam ii irridebantur vel contemnebantur, quorum parentes sua manu sordidum quaestum fecerant („*πεφυκέναι ἐκ βαναύσων καὶ χειροτεχνῶν ἀνθρώπων*“ Polyb. XIII, 4.); Herod. II, 167. Plat. Gorg. 512 c. Cfr. Plut. regum

Officinarum possessores quum ipsi manus animosque ab opere faciendo utique abstinerent, servis opificibus, quos aut emerant ad opificium idoneos aut ad illud instituendos curaverant,[54]) praeficiebant homines artis exercendae peritissimos (*ἐπίτροποι*,[55]) *ἡγεμόνες τοῦ ἐργαστηρίου*,[56]) quos aut et ipsos servos[57]) aut homines liberos mercede conductos[58]) fuisse consentaneum est. Servi autem aliquam artem callentes praeter ceteros habebantur pretiosi; nam quum ceteri tam vili pretio digni viderentur, ut vel quinquaginta drachmis venirent,[59]) ac ne ii quidem, qui in metallis Laurioticis argentum fodientes magnum dominis afferebant utilitatem, maioris pretii quam trium minarum et dimidiae haberentur[60]): tantum his praestare videbantur illi, ut sex minis[61]) constarent, officinae praefectus autem vel uno talento aestimaretur.[62]) Quos servos domini aut in suis officinis opus facere iubebant, cuius ipsi fructum perciperent, aut eorum operam aliis locabant,[63]) modo singulos modo universos cum officinis,[64]) ea condicione ut in singulos dies certa quaedam pecunia (*ἀποφορά*) inde ad se rediret.[65]) Denique erant, qui servos ad tempus ex ergastulis dimitterent, ut suo arbitrio aliquod opificium tractantes vel mercaturam factitantes lucrum facerent;[66]) cuius quotam partem dominis red-

---

et imperat. apophthegm. s. *Ἰφικράτης* (VI, pag. 708 Reiske): „*Ἰφικράτης δοκῶν υἱὸς εἶναι σκυτοτόμου κατεφρονεῖτο.*" Euripides quantopere derisus sit ab Aristophane, quod mater olera venditasset, docuit Kock ad Aristoph. Eq. 19. Schenkl Philologus XX, pag. 683. (Cfr. Liv. XXII, 25: „C. Terentius Varro non humili solum, sed etiam sordido loco ortus est; patrem lanium fuisse ferunt filioque hoc ipso in servilia eius artis ministeria usum." Sic Agathoclem tyrannum figuli filium irridebant, quasi ipse figlinam exerceret. Plut. apophth. regum s. *Ἀγαθοκλῆς*,). Quin etiam cognomina habebant ab arte paterna, velut *Μνησίθεος ὁ τοῦ μαγείρου καλούμενος* Aeschin. I, 158.

54) Galen. Protrept. 6: „*τοὺς οἰκείους ἐκδιδάσκονται τέχνας, πάμπολυ πολλάκις εἰς αὐτοὺς ἀργύριον ἀναλίσκοντες.*"

55) Demosth. XXVII, 19. Xen. Oecon. 12, 3. Aristot. Polit. I, 7. pag. 10. Oecon. I, c. 5. *ἐπιστάτης* Xenoph. Memor. II, 5, 2. Parum recte Thiersch l. l. pag. 836. *ἐπιστάτας* existimat eosdem esse atque officinarum possessores.

56) Aeschin. I, 97. ubi Schol.: „*ὁ τῶν δημιουργῶν χοροδιδάσκαλος καὶ ὑφηγητὴς καὶ οἷον ἄρχων*" (ed. Ferdin. Schultz pag. 271).

57) Xen. Oecon. et Memor. Aeschin. Aristot. Oecon. ll. ll.

58) Cfr. Xen. Memor. II, 8, 3. Milyas libertus praeest officinae ap. Demosth. l. l.

59) Xen. Memor. II, 5, 3.

60) Demosth. XXXVII, 4.

61) Demosth. XXVII, 9. Hyperbolice Galen. l. l.: „*ὁ οἰκέτης (τέχνην ἐκδιδαχθεὶς) ἐνίοτε δραχμῶν μυρίων ἄξιος.*"

62) Cfr. Xen. Memor. II, 5, 2.

63) Demosth. XXVII, 9, 20. LIII, 20. Hyperid. pro Lycophr. pag. 23 Schneidewin.

64) Demosth. XXXVI, 4. XXXVII, 29. XXXXVI, 27.

65) Aeschin. I, 97. Andoc. I, 38. Xen. de vectig. 4, 14. 15. (Athen. VI, 272 c.) Theophrast. Char. 13, 5. Menander ap. Suidam s. v. *ἀμφορεαφόρος*. Hinc *ἀνδράποδα μισθοφοροῦντα* [Xen.] de rep. Athen. 1, 17. Illam *ἀποφοράν* servos solvisse existimat Rein (in Paulyi Encyclop. VI, 1, 1090) de mercede quam accepissent; at servis elocatis ipsis nihil mercedis solvebatur, sed alimenta praebebantur (Aristot. Oecon. I, fragm. 5: „*δούλῳ μισθὸς τροφή*"). Imo *ἀποφορά* ea est pecunia, quam in dies solvebant ii qui servos conduxerant dominis qui locaverant; cfr. Demosth. XXVII, 20. Hyperid. et Xen. l. l. Repugnat Schömann, *att. Process* pag. 533.

66) Hic sunt servi *χωρὶς οἰκοῦντες*. Demosth. XXXXVII, 72. Bekker, Anecd. gr. II, pag. 316.

diderint non liquet.[67]) Quod servorum genus interdum ex arte vel mercatura tantam pecuniam lucri fecisse, ut non solum dominis magno usui essent, sed etiam ipsi magnifice viverent libertatisque aditum sibi patefacerent, ironice, ut solet, significavit is, qui libellum de republica Atheniensium conscripsit.[68])

Caput IV.

Restat ut videamus, quae fuerit opificum et in republica et in civitate condicio.

Et Plato quidem in eo libro, quem de optima republica composuit, opifices voluit cum mercatoribus agricolis et omni mercennariorum genere unum quasi corpus esse, quod operam poneret in opibus quum sibi tum reipublicae comparandis (*τὸ χρηματιστικὸν γένος*);[69]) a quo Aristoteles ita dissensit, ut opifices ipsos non admixto ullo alio hominum genere in unam classem (*τὸ βάναυσον μέρος*),[70]) mediam eam inter agricolas et mercatores institoresque neque multum a servili condicione remotam,[71]) congregari iuberet. Neuter vero id praecepit, ut quot opificiorum genera tot essent opificum collegia („*Zünfte*“); nam quod Plato noluit unum eundemque hominem in duas pluresve simul incumbere artes[72]): hanc legem non ideo proposuit, ut opifices, prout cuiusque artis rationes postularent, ita in collegia distribuerentur, sed ut suae quisque artis opera diligentius exequeretur magisque in ceterorum usum et commodum fabricaret.[73])

Quodsi quaerimus, quatenus instituta publica congruant cum philosophorum praeceptis: apparet fieri non potuisse, ut opifices in unam classem collecti iure et vitae ratione segregarentur a ceteris civibus; id quod non fugit Aristotelem, qui in civitate monuit nullam

---

67) Haec quoque pecunia videtur *ἀποφορά* esse dicta. Böckh, *Staatsh.* I, 102. Westermann in Paulyi Encycl. I, pag. 1330. ed. II. Diog. Laert. VII, 169 Cleanthem philosophum narrat Zenone iubente operam mercede aliis locasse et inde magistro singulos in dies obolos *ἀποφοράν* rettulisse.

68) 1, 11. — A Romanis quoque servos adhibitos esse ad opera in officinis facienda, quamquam negavit Athenaeus VI, 272 e., nuper eximia diligentia exposuit Marquardt, *röm. Privatalterth.* I, pag. 166 sqq.

69) de rep. IV, 434 c. 441 a.

70) Polit. VI, 4, pag. 151 Bekker.

71) Ib. III, 4. pag. 65.

72) de rep. II, 370 b. c. de leg. VIII, 846 e. 847 a. Diodoro si fides est habenda, eadem lege utebantur Aegyptii (I, 74. cfr. Isocr. XI, 16).

73) „*ἓν γὰρ ὑφ' ἑνὸς ἔργον ἄριστ' ἀποτελεῖται.*“ Aristot. Polit. II, 11. pag. 55. Idem praecepit Xenoph. Cyrop. VIII, 2, 5: „*ἀδύνατον πολλὰ τεχνώμενον ἄνθρωπον πάντα καλῶς ποιεῖν;*“ cfr. Antonin. comment. IV, 31. Plutarch. de tranquillitate animi pag. 473. (Xylander). Quamquam erraverunt ii, qui quod philosophi praeceperant idem lege sanctum fuisse putarunt (Petitus, leges Atticae V, 6, 2. St. Iohn, the Hellenes III, 99); sed de hac re alias viderimus.

esse posse discriminis stabilitatem nisi eius, quod intercederet inter divites et inopes.[74]) Ac ne collegia quidem opificûm in Graecorum civitatibus fuisse, qualia Romae instituisse fertur Numa,[75]) id coniiciendum videtur quum ex eo, quod lingua Graeca caret eo vocabulo quo illa notio expleatur,[76]) tum ex scriptorum silentio;[77]) quae conclusio quamvis aliis in rebus videatur lubrica, tamen non facile quemquam puto negaturum, collegia opificum si fuissent vel Athenis vel in ulla alia Graeciae civitate, non futurum fuisse, ut ex tanto auctorum numero ne unus quidem rei mentionem faceret; philosophos certe necesse erat in describenda optima civitate utrum esse illa oporteret necne statuere. Accedit quod in motibus et discordiis intestinis nunquam fere[78]) seditionum auctores opificum potissimum turbam inter faecem urbanam concitasse legimus; quorum si fuisseut collegia communi quodam iuris et necessitudinis vinculo coniuncta, quantum in republica valitura fuerint, praesertim quum illi proclives viderentur ad concionum fluctus subeundos,[79]) facile intelliget, qui quanto momento in reipublicae temporibus quondam fuerint opificum collegia in nostris Italorum Francogallorum civitatibus meminerit; nunc vero non opifices res novas moliebantur, sed si qua civitas laborabat discordiis domesticis, inter

---

74) Polit. VI, 4. pag. 152: „*ταῦτα μέρη μάλιστα εἶναι δοκεῖ πόλεως, οἱ εὔποροι καὶ οἱ ἄποροι.*"

75) Drumann pag. 153 sqq. Guhl und Koner, *das Leben der Griechen und Römer* pag. 639 sq. (edit. II.). Göll, *Kulturbilder aus Hellas und Rom* I, 238 sqq. Incredibili diligentia de collegiis opificum apud Romanos iampridem post Heineccium et Platnerum disseruit Carolus Christ. Frider. Krause philosophus, cuius industriam plerosque latere video, *in „die drei ältesten Kunsturkunden der Freimaurerbrüderschaft"* tom. II, sect. 2, pag. 93—175. ed. II. (Dresd. 1821).

76) Proxime omnium accedit ad eam notionem substantivum *ἔθνος*, ex. gr. Plat. Gorg. 455 b.: „*ὅταν περὶ ἰατρῶν αἱρέσεως ᾖ τῇ πόλει σύλλογος ἢ περὶ ναυπηγῶν ἢ περὶ ἄλλου τινὸς δημιουργικοῦ ἔθνους.*" Polit. 290 b. Westermann ad Demosth. XXIII, 146. — Quae verba in Pollucis Onom. IX, 144. leguntur: *κατὰ τέχνας συνέρχεσθαι*, coniuncta cum similibus: *κατὰ ἔθνη, κατὰ γένη συνέρχεσθαι*, ea, quamquam de collegiis opificum intelligenda videntur, non ad veterum Graecorum, sed ad Romanorum institutum postea ad Graecos translatum referenda existimo; cfr. infra notam 82.

77) Quod Clidemus atthidographus ap. Athen. XIV, 660 d. narrat, Athenis fuisse *φῦλον μαγείρων ἐχόντων δημιουργικὰς τιμάς*: haec verba quum omnino ob brevitatem obscuriora sint, quam quae quidquam lucis afferant huic quaestioni diiudicandae, tum nescio an ad gentem potius referenda sint, in qua ars coquinaria hereditate a patribus ad filios pervenerit; quod idem de Lacedaemoniis tradidit Herod. VI, 60. Temere nonnulli huc rettulerunt legem quandam, quae Solonis fuisse dicitur, ex corpore iuris civilis repetitam. Locum sufficiet adscripsisse. Gaius in Digestis lib. XXXXVII, tit. 22, 4: „Sodales sunt, qui eiusdem collegii sunt, quam Graeci *ἑταιρίαν* vocant. His autem potestatem facit lex pactionem quam velint sibi ferre, dumne quid ex publica lege corrumpant." Sed haec lex videtur ex lege Solonis translata esse. Nam illuc ita est: „*ἐὰν δὲ δῆμος ἢ φράτορες ἢ ἱερῶν ὀργίων ἢ ναῦται ἢ σύνσιτοι ἢ ὁμόταφοι ἢ θιασῶται, ἢ ἐπὶ λείαν οἰχόμενοι ἢ εἰς ἐμπορίαν, ὅτι ἂν τούτων διαθῶνται πρὸς ἀλλήλους, κύριον εἶναι, ἐὰν μὴ ἀπαγορεύσῃ δημόσια γράμματα.*" Nihil haec verba pertinent ad hanc quaestionem.

78) Unum quod ego quidem repperi exemplum extat apud Polyaen. Strateg. VI, 7, 2, ubi Apollodorum tyrannidis arripiendae cupidum legimus Cassandreae, in urbe Pallenes paeninsulae, concitasse *τοὺς ἀπὸ τῶν ἐργαστηρίων τεχνίτας*. Postea in civitatibus graecis opifices paratos et promptos visos esse hominibus seditiosis ad turbas concitandas testatur Cicero p. Flacco 7, 16. 17. 8, 18 („opifices et tabernarios atque illam omnem faecem civitatum quid est negotii concitare?"); quod factionis forensis genus Graeci debebant Romanis. Cfr. in Catil IV, 8, 17. de domo 5, 13. 14; 33, 89. Krause, l. l. pag. 104.

79) Aristot. Polit. VII, 4. pag. 183: „*διὰ τὸ περὶ τὴν ἀγορὰν καὶ τὸ ἄστυ κυλίεσθαι τὸ πλῆθος τό τε τῶν βαναύσων καὶ τὸ τῶν ἀγοραίων ἀνθρώπων καὶ τὸ θητικὸν ῥᾳδίως ἐκκλησιάζει.*"

se dissidebant aut viri populares et optimates, utra reipublicae forma potior esset habenda, aut sine ullo ordinum discrimine divites et inopes, non utri in republica plus valerent, sed ut inopes divitiarum bona ac fortunas ad se raperent.[80]) Opifices ipsi autem tantum aberat ut communi quodam studiorum et consiliorum ratione coniuncti mutuam inter se praestarent fidem et operam, ut sycophantis idonei viderentur, quibus ad lubidinem illuderetur.[81]) Neque hoc mirum; nam neque cives consentaneum est conspirasse cum inquilinis — quos utrosque in opificiis versatos esse supra exposui — ad communem causam communi studio defendendam, neque qui servos in officinis alebant ad aliquam artem exercendam, utpote qui magno discrimine se vellent separari ab opificibus et operariis manu mercedem quaerentibus, ullam societatis necessitudinem coniungendam putabant cum sordido sellulariorum genere.

Quae omnia quum memoria repeto, iis assentiendum existimo, qui collegia opificum artis iuris institutorum commodorumque communione coniuncta neque Athenis neque in ulla Graecorum civitate fuisse statuerunt.[82])

At religionis et sacrorum communitatem quandam fuisse quum inter universos opifices tum inter singulorum opificii generum consortes vel ex iis apparet, quae supra (pag. 6.) de communibus eorum sollemnibus narravi; nec desunt alia veterum testimonia quamvis dispersa et

---

80) Plat. de rep. IV, 422 e. VIII, 551 d. de leg. V, 735 e. 744 d. Cfr. Aristoph. Eccles. 197 sq.

81) Cfr. [Demosth.] XXV, 38.

82) Wachsmuth, *hellen. Antiq.* II, 18. Hermann, *Privatalterth.* §. 43 init. Schömann, *Alterth.* I, 545 (ed. II.). Becker, Charicles II, pag. 143 (ed. II.). Göll, *Kulturbilder* I, 235. 239. Secus iudicaverunt Granier de Cassagnac, quem silentio praetereundum videri in praefatione monui, et quem pluris aestimandum puto, Moreau de Jonnès, statistique des peuples de l' antiquité (Paris 1851) pag. 267: „c' était la répartition des artisans par sorte des métiers comme en France par corporations avant 1789; chacune de ces communautés avait ses uses et coutumes et même pour signe de ralliement une chanson.“ Quae ex quo fonte hauserit fateor me nescire, praeterquam quod ea quae de cantibus opificum narravit videtur ex Athen. XIV. 618 d. didicisse. — At postquam Romani sua instituta in civitates graecas transtulerunt, non dubium quin inter Graecos quoque fuerint opificum collegia similia illorum, quae Romani antiquitus in suae reipublicae disciplinam receperant; quod quo iure affirmarim, cognosci licet ex inscriptionibus non paucis in civitatibus graecis Phrygiae, Lydiae, Ioniae inventis. Sic Thyatiris, in Lydiae urbe, erant collegia (*ἐργασίαι*, *συνεργασίαι*, semel *ἔργον*) vestiariorum (*ἱματευόμενοι*), figulorum, pistorum, infectorum (*βαφεῖς*), coriariorum (*βυρσεῖς*), linteorum (*λινουργοί*); cfr. Corp. Inscr. 3480. 85. 96. 97. 98. 99. 3504 (vol. II, pag. 823 sqq.). Philadelphiae, in eiusdem regionis urbe, lanarii (*ἐριουργοί*) tribu quadam continebantur, quae appellabatur sacra (Corp. Inscr. 3422. II, pag. 802); Smyrnae erant collegia argentariorum (*ἀργυροκόποι*) et aurificum (ib. 3154. II, pag. 715), fabrorum et *κοραλιοπλαστῶν* (ib. 3304. 3408. II, 766. 796); Laodiceae, quae erat Phrygiae urbs, collegia inveniuntur (ib. 3938, III, pag. 41) fullonum (*γναφεῖς*) et purpurariorum (*βαφεῖς ἁλουργοί*); Hierapoli, quae urbs et ipsa erat Phrygiae, infectorum (ib. 3924. III, pag. 37); Ephesi frumentariorum (ib. 3028. II, pag. 623). In Atheniensium urbe quamquam verisimile est, Romanorum institutis antiquae reipublicae admixtis opifices illorum more suum in republica locum obtinuisse, tamen non repperi ullum testimonium, quo nixus liquido hoc affirmarem. Nam quod doctus quidam Anglus (Leake, *Topographie von Attika* pag. 351. vers. german.) in Philostrati vit. Sophist. II, 8, 2. invenisse sibi visus est, „curiam opificum“ ad Dipylon portam extructam: male interpretatus est ille Philostrati verba; nam *τῶν τεχνιτῶν βουλευτήριον* non opificum, sed artificum scenicorum est curia, qui sexcenties dicuntur *οἱ περὶ τὸν Διόνυσον τεχνῖται* (Benseler, *Wörterb. der griech. Eigennamen* s. *Διόνυσος*); quorum constat fuisse et quasi senatum quendam (*τὸ κοινὸν τῶν τεχνιτῶν συνέδριον*) et curiam; cfr. Osann, inscript. pag. 205. Albert Müller, Philologus XXIII, pag. 491.

subobscura, quibus docemur, si non omnibus at quibusdam opificum generibus communia fuisse sacra ex eorum numero, quae Graeci *ἱερὰ ὀργεωνικά* appellabant.[83] Figulos supra diximus tamquam artis suae principem et patronum coluisse Prometheum;[84] quos eosdem Ceramo heroi, Bacchi et Ariadnes filio, in pago Ceramico sacrificasse tradidit Philochorus atthidographus.[85] Molendinarios narrant veneratos esse deum quendam molendinarum praesidem, Nostum sive Eunostum, quamquam nec unde nomen habuerit neque qualem eum finxerint liquet.[86]

Quodsi nulla fuerunt opificum collegia artis et iuris communione colligata, ne privilegia quidem singulorum generum esse potuisse patet.[87] Singulis opificibus num interdum propter singulare aliquod opificium eximium quoddam iuris beneficium vel potior quam ceteris honos concessus sit, de Atheniensibus in medio praestat relinquere; quam consuetudinem non prorsus alienam fuisse ab institutis civitatum Graecarum Phylarchus historicus docet,[88] qui Sybaritas narrat, si quis coquus vel opsoniorum artifex singulare quoddam et eximium cibi genus invenisset, intra annum non permisisse cuiquam praeter inventorem, ut idem genus appararet aut venderet. Quam vero legem indefessus quidam legum atticarum indagator[89] ex fabula quadam Aristophanis,[90] comici iocum pro sincero historiae fonte habendam opinatus, hausit, ut qui in arte sua ceteris longe excelluisset, is publice in Prytaneo aleretur aliisque honoribus afficeretur: eam ab ullo unquam legum conditore scriptam esse quis hodie credat? Imo extiterunt inter Graecos, qui omni iure opifices excludendos rati civibus persuadere studerent, ut ad servilem condicionem eos detruderent; nam non solum — id quod supra adno-

---

83) C. F. Hermann, *gottesdienstliche Alterthümer* §. 7, 6.

84) Adde Dio Chrysost. XXXVII, 44. Thiersch in act. acad. bavar. II, 3. (1838) pag. 817.

85) Ap. Harpocr. s. v. *Κεραμεῖς;* cfr. Suidam et Pausan. I, 3, 1. Thiersch l. l. pag. 822. non debuit hanc figulorum atticorum sodalitatem ad sacra concelebranda factam (*ὀργεών*) comparare cum „collegio" figulorum, quod ceteris adiunxisse narratur Numa (Plin. nat. hist. XXXV, 5, 46).

86) Trypho ap. Athen. XIV, 618 d. Eustath. ad Odyss. XX, pag. 724 fin. (= 1885, 25), qui illum *δαίμονα ἐπιμύλιον, ἔφορον τῶν ἀλετῶν* interpretatus est. — De Atheniensium opificibus non memini praeterea me eiusmodi quidquam legere; at inter Lacedaemonios a coquis et pistoribus religiose colebantur duo heroes, Ceraon et Matton, quorum propria fuisse ferunt templa in vico Hyacinthio (Polemo et Demetrius ap. Athen. II, 39 c. IV, 173 f.); qui non videtur posse dubitari quin habiti sint illarum artium inventores et magistri (nam *Μάττων* eum significat, qui farinam depsit ad panem coquendum, *Κεράων* eum, qui vinum bene temperare scit; qui enim alicuius artis principes fuissent, eos heroum laudibus, quin etiam divino cultu honoratos esse testatur Lactant. instit. div. I, 18, 21; sic, ut aliquo utar exemplo, Hippocrates tamquam artis medicae etsi non princeps at egregius magister herois instar colebatur (Plin. nat. hist. VII, 37). De Romanorum collegiis, quem quodque deum praecipue coluerit, cfr. Krause l. l. pag. 169 sqq.

87) Nam quales fuerint *δημιουργικαὶ τιμαί* concessae *φύλῳ μαγείρων* (Clidem. ap. Athen. XIV, 660 d.) enucleari non posse supra significavi nota 77. — Sybaritae eos, qui purpura marina vestes tingebant vel purpuram importabant, immunitate (*ἀτέλεια*) donaverant, sed postquam civitatis mores lapsi sunt ad luxum et mollitiem, sua, non opificum causa (Phylarch. ap. Athen. XII, 521 d.); quae eadem opificum genera Lacedaemonii civitate expellenda putabant (Clem. Alex. Paedag. II, 8).

88) Ap. Athen. XII, 521 c. Cfr. Becker, Charicles II, pag. 144 (ed. II.).

89) Petitus, leges atticae V, 6, 6: *„τὸν ἄριστον ὄντα τῶν αὐτοῦ συντέχνων σίτησιν ἐν Πρυτανείῳ λαμβάνειν καὶ προεδρεύειν"* (ubi?)

90) Ran. 761 sqq. Cfr. de hoc loco E. v. Leutsch, *Götting. gelehrte Anzeigen 1861, Stück 46.*

tavi[91]) — Epidamni servi publici opera faciebant, sed etiam Athenis quarto a. Chr. saeculo Diophantus quidam Sphettius, quem reipublicae administrandae non imperitum praedicat Demosthenes,[92]) legem ad populum tulit, ut opifices essent servi publici;[93]) quam etiamsi non pertulit,[94]) tamen ipsa rogatione docemur, in quo numero opifices a nonnullis habiti sint.

Quae omnia si recte sunt disputata, apparere puto, Atheniensium legum latores plerosque omnes satis habuisse, opificia quam fieri posset diligentissime a singulis opificibus exerceri, universo autem opificum generi iure ac legibus prospiciendum aut publice succurrendum non existimasse. Itaque nescio an non iniuria contendere liceat, rempublicam nihil curantem nisi ut opera ita exigerentur, ut bono essent usui, opifices ipsos omnemque industriam in opere faciendo collocatam quodammodo neglexisse.[95]) Quod idem cum magno eorum commodo ita factum est, ut opificia non censerentur tributaria *(„Gewerbsteuer“)*; cuius rei testis est Pseudaristoteles, qui in altero libro Oeconomicorum[96]) diserte dicit, tributa honestis quaestus faciendi rationibus imposita (*χειρωνάξια*)[97]) Graecis visa esse libera civitate indigna nec ferenda nisi iis, qui satraparum vel regum arbitrio oboedirent.[98]) Quo testimonio quum luculentius nullum possit cogitari, mirandum sane videtur, quod doctissimus quidam idemque elegantissimus antiquitatum Graecarum enarrator,[99]) quamvis concederet, ex fontibus antiquis nihil certi de

---

91) Pag. 19, not. 14. Adde Aristot. Polit. III, 5, pag. 66: *„ἐν τοῖς ἀρχαίοις χρόνοις παρ᾽ ἐνίοις ἦν δοῦλον τὸ βάναυσον ἢ ξενικόν· διόπερ οἱ πολλοὶ τοιοῦτοι καὶ νῦν.“*

92) Nam videtur Diophantus Atheniensis ap. Aristot. Polit. II, 7, p. 40. idem esse qui ille, cuius Demosthenes aliquoties mentionem fecit (A. Schäfer, Philol. V, pag. 13 sq.): cfr. Wachsmuth, *hellen. Antiq.* I, 673.

93) Aristot.: *„δημοσίους εἶναι τοὺς τὰ κοινὰ ἐργαζομένους;“* quae verba Böckh, *Staatsh.* I, 65. ita interpretatus est, ut *τοὺς καὶ κοινὰ ἐργαζομένους* intelligeret operarios publicos; at et obstant Aristotelis verba proxime antecedentia (*εἴ γ᾽ οἱ τεχνῖται πάντες δημόσιοι ἔσονται*) et solent grammatici isdem fere verbis omnes omnino opifices explicare. Cfr. Schol. ad Aristoph. Eq. 650. Pac. 296. ad Demosth. XVIII, 157 (II, p. 82. ed. Turic.). Ceterum eadem suasit Phaleas Calcedonius, qui non iuris solum, sed etiam bonorum aequabilitatem in optima civitate esse debere affirmavit (Aristot. l. l. pag. 37 sqq.).

94) *Διόφαντος κατεσκεύαζεν* Aristot. Videtur Diophantus instituere voluisse genus quoddam officinarum publicarum, non dissimile illius, quod nuper Francogalli nonnulli expulso rege Ludovico Philippo, operarios publice sublevaturi, in reipublicae instituta recipi iusserunt (ateliers nationaux). Ad quarum similitudinem propius etiam accedunt eae officinae, in quibus Polyaeno teste (Strateg. III, 8) Argivi a publicis opificibus publico sumptu magistratu quodam (*ἐπιμελητής*) praefecto arma fabricanda curabant.. Plerumque tamen civitas, si opus videbatur, aut ipsa ad tempus conducebat operarios aut conducendos permittebat redemptoribus; de qua re plura scribam alias.

95) Mercaturae et mercatoribus publice diligentissime esse prospectum post Boeckhium nuper dilucide exposuit Adolphus Lange, *Darstellung des athen. Handels vom Ende der Perserkriege bis zur Unterjochung Griechenlands durch die Römer* (Progr. Chemnitz 1862) pag. 10 sqq.

96) Oecon. II, 1, 3. cfr. 6.

97) Idem vocabulum de mercede operarum intelligendum videtur Corp. Inscr. num. 4863 b. 4874. 4884. (vol. III, pag. 408. 411. 414).

98) Quod Pseudaristot. Oecon. II, 3. Byzantios tradidit quondam tributum exegisse a planis pharmacopolis hariolis, id semel esse factum apparet, quo civitas expediretur ex inopia et angustiis.

99) Schoemann, *griech. Alterth.* II, pag. 295 (ed. II.).

hac re hauriri,[100]) nilominus eiusmodi tributum opificibus impositum fuisse contendit; quod quum alio loco [1]) ita intellectum voluit, ut inquilinis tantum illius solvendi necessitatem iniunctam fuisse diceret: ne hoc quidem ullo, quod ego sciam, probatur veterum testimonio; nam pariter atque civibus inquilinis licebat sine ullo tributo [2]) quodvis honestum opificium exercere, ita tamen, ut ab inquilinis ex lege a Solone lata Aristophonte Azeniensi rogante quarto a. Chr. saeculo iterata exigeretur census tabernarius *(„Standgeld“)*, quo soluto potestas iis fiebat mercium in foro divendendarum. [3])

A forensi hoc vectigali diversum erat illud, quod nonnulli rerum antiquarum enarratores existimant aestimato mercium pretio esse exactum, priusquam eas vendere liceret (*ἐπώνιον, ἐπωνία, „Accise“*) [4]); sed neque quota pars pretii exacta sit — nam manifesto tenentur errore Harpocratio et Suidas, qui quintam partem pensitatam esse dicunt [5]) — neque quibus illud imperatum fuerit, omnibusne an inquilinis solis et peregrinis, ex tenuioribus veterum testimoniis cognosci licet; ac ne hoc quidem constat, utrum venditoribus an emptoribus illud solvendum fuerit. Denique unquam ulli opificum generi aut agricolis publice potestate vendendi adempta imperatum esse, ut quae fabricassent aut exarassent, statuto pretio accepto collata reipublicae vendenda permitterent, de Atheniensium republica ausim negare, quam neque legi usquam nec

---

100) Non debuit Schoemann pro argumento afferre illud vectigal, quod solvebant ii, quos corpore inhonestum quaestum facere non pudebat (*τὸ πορνικὸν τέλος*. Aeschin. I, 120. Suidas s. v. *διάγραμμα*. Böckh *Staatsh.* I, pag. 450), nam quamquam Pollux Onom. VII, 201. inhonesta quoque negotia (*τὰς αἰσχίους πράξεις*) inter *τέχνας* habet, tamen nihil inde colligendum esse ad honestas quaestus comparandi rationes quis est quin intelligat? A rerum byzantinarum scriptoribus mentio fit tributi cuiusdam iis impositi, qui opificia vel mercaturam factitabant, quod *χρυσάργυρον* vocant (Zosimus histor. II, 38. alii; in codice Theodosiano „praestatio auraria“ appellatur); quo tributo ab imperatore Constantino opificibus et mercatoribus imposito liberavit eos Anastasius prior.

1) I, 548. Consentit Lange, l. l. pag. 11.

2) Non est quod moneam, non huc referendas esse eas duodenas drachmas, quas quotannis pensitabant inquilini, ut tutela et fide civitatis frui iis liceret (*τὸ μετοίκιον*).

3) Hanc pecuniam (*τὰ ξενικὰ τὰ ἐν τῇ ἀγορᾷ τελεῖν*) non peregrinos solum pensitasse (Aristoph. Ach. 896. et ibi Schol.), sed etiam inquilinos, quos constat et ipsos *ξένους* interdum esse appellatos, intelligitur ex Demosth. LVII, 34 (cfr. 31. 32.) Böckh, *Staatsh.* I, 425. ed. II. Exegisse videntur eam *ἀγορανόμοι*, (Meier, *att. Process* 91. Westermann in Paulyi encycl. I, 4. pag. 583. ed. II.). Plato de leg. VIII, 850 b. ne hanc quidem pecuniam iubet imponi inquilinis: „*τὸν βουλόμενον μετοικεῖν μετοίκιον μηδὲ σμικρὸν τελεῖν μηδὲ ἄλλο αὖ τέλος ἕνεκά τινος ὠνῆς ἢ καὶ πράσεως.*“

4) Pollux VII, 15. Isaeus ap. Harpocr. s. v. Suidas s. v. Etym. Magn. pag. 368, 30. Explicant lexicographi: *τὸ ἐπὶ τῇ ὠνῇ διδόμενον.* Cfr. Hermann *griech. Antiq.* I, §. 126, 8.

5) Mihi quidem probabile videtur, non quintam, sed quinquagesimam pretii partem exactam esse, siquidem ulla exacta est; nam eadem pars pretii (*ἡ πεντηκοστή*) pensitabatur omnium mercium, quae aut importabantur aut exportabantur (Böckh I, 425 sq.). Theodorus Kock ex obscuro quodam Aristophanis loco (Eq. 301) *ἐπώνιον* decimam pretii partem fuisse coniecit. Schömann *Alterth.* I, 465. de centesima parte videtur cogitare; idem cum Boeckhio I, 439 sq. illud vectigal de pretio non vendendarum sed emptarum mercium solutum putat *(„Kaufsteuer“)*. Ceterum Bake in scholicorum hypomnematum vol. IV. (Lugd. Batav. 1852) pag. 272 sqq. grammaticorum locos ita interpretatus est, ut *ἐπώνια* intelligeret quintam partem pretii, quae statim solvenda esset publicanis, qui vectigalia redemissent, in fidem emptionis. Quod nescio an iure fecerit; nam iniquam illam vendendi condicionem futuram fuisse apparet.

facile persuadeo mihi unquam tantum sibi arrogasse, ut hoc illudve mercium aut frugum genus nisi publice non vendi iuberet (*μονοπωλία*); [6]) quamquam non solum reges ac tyrannos, sed etiam liberas civitates nonnunquam, ut pecuniae penuria se liberarent, ad iniquam illam exhausti aerarii replendi rationem confugisse constat. [7])

Officinas ac tabernas per urbem ponere licebat opificibus ubicunque placebat, praeterquam quod cum omni opere humano procul esse iubebantur a locis sacris; [8]) nam sordida quaedam opificii genera, id quod aliis in civitatibus praescriptum erat, [9]) Athenis extra urbem tractari leges iussisse nusquam memini me legere. Multas officinas tabernasque in foro collocatas fuisse quum per se consentaneum est tum traditum a veteribus; [10]) alias scimus in fori vicinia in vicis frequentissimis [11]) et in Piraeo [12]) fuisse. Nonnulli Athenarum urbis vici nomina habebaut ab eo opificum genere, cuius multae ibi erant tabernae et officinae, ut vicus statuariorum (*ἡ τῶν ἑρμογλυφέων ὁδός*) [13]) et cistulariorum (*τῶν κιβωτοποιῶν*). [14]) Ceramicum pagum nomen habuisse ab arte figulorum supra [15]) narravi. [16])

Reliquum est, ut quem locum opifices in civitate, i. e. in civium usu et consuetudine obtinuerint ostendamus. Nam quod supra uberius exposuimus opificium parum honestum viroque ingenuo indignum et, si liceret per rem familiarem, fugiendum visum esse: non idem statuen-

---

6) Lange, *der athen. Handel* etc. pag. 11 sq. Athenienses quoque contendit nonnunquam monopoliis usos esse ad civitatem ex inopia reficiendam. Sed cfr. Böckh, *Staatsh.* I, pag. 74 (ed. II.). Göll, *Kulturbilder* I, 235.

7) Aristot. Polit. I, 11. pag. 19: „*τῶν πόλεων ἔνιαι τοῦτον ποιοῦνται τὸν πόρον, ὅταν ἀπορῶσι χρημάτων· μονοπωλίαν γὰρ τῶν ὠνίων ποιοῦσιν.*“ Exempla vide ap. [Aristot.] Oecon. II, 4. 9. cfr. 8. 17. Strab. XVII, 798 fin. Interdum privati aliquo mercium genere universo undique coempto magnum lucrum faciebant, id quod de Thalete Milesio tradidit Aristoteles l. l.; quam et ipsam quaestus faciendi rationem vocabant *μονοπωλίαν* (Aristot.) sive *μονοπώλιον* (Hyperid. ap. Polluc. VII, 11).

8) Aeschines III. 119 Locris Amphissensibus summo vertit crimini, quod in sacro agro Cirraeo figlinas collocassent; lege ipsa de agri Delphici integritate et sanctitate interdictum erat, ne quis ibi molam poneret (Corp. Inscr. n. 1688. vol. I, pag. 807); in Argiva quadam inscriptione omnia omnino *ἐργαστήρια* a locis sacris arcere cives iubentur (C. I. n. 1119. vol. I, pag. 577), exceptis iis officinis, quae, necessariae quippe vel ad dei cultum vel ad sacerdotum vitam et commoda, ipsae habebantur sacrae, ut *ἱεροὶ μυλῶνες* Cereris vel Dianae, in quibus virgines nobiles liba coquebant (Schol. ad Aristoph. Lysistr. 644); eiusdem generis procul dubio fuerunt figlinae et fabricae Apollinis Delii in Inscript. ap. Böckh *Staatsh.* II, pag. 108. Qui in eiusmodi officinis opera faciebant, maxime videntur fuisse servi sacri (*ἱερόδουλοι*). Schömann, *griech. Alterth.* II, p. 401 (ed. II.).

9) Sybaritae strepitum fabrorum lignariorum et ferrariorum aegre ferentes urbe eos excluserant (Athen. XII, 518 e.). Artemidoro (Onirocr. II, 26. III, 52) teste alii quoque opificia sordibus et ordore foeda (*ἐργασίαι ῥυπώδεις*) extra urbem tractari iusserant, velut coriariorum (ib. I, 51. II. 20) et *διὰ τὸ ἅπτεσθαι νεκρῶν σωμάτων* et propter odorem; nam *αἱ βύρσαι δύσοσμοι* (Schol. ad Aristoph. Pac. 43). De figulis idem parum recte videtur Artemidorus tradidisse.

10) Lys. XXIII, 3. XXIV, 20. Demosth. XXI, 22. Xen. Mem. IV, 2, 1. Idem de Thebarum urbe tradidit Plutarch. de genio Socratis 10 (tom. VIII, pag. 362 Reiske).

11) Cfr. Aeschin. I, 124. Alciphr. Epist. III, 66. Artemidor. Onirocr. V, 67.

12) Plut. Nic. 30. de garrul. 7.

13) Plut. de genio Socr. l. l.

14) Plut. l. l.

15) Pag. 20. nota 25.

16) Romae quoque constat vicos quosdam appellatos esse ab opificum generibus, ut a falcariis (Cic. in Catil. I, 4, 8), a lignariis (Liv. XXXV, 41).

dum censeo de opificum inter ceteros condicione; neque enim poterat fieri quin in quotidiana vitae ususque consuetudine homines iudicarentur non ex volgari de hoc illove genere existimatione; sed quo quisque vivendi et cogitandi ratione propius videbatur accedere ad ingenuitatem, eo magis dignus habebatur, quo si non familiariter at non contemptim ceteri uterentur. Itaque non mirandum, quod opifices, qui quidem honeste vivere animosque ex opificii sordibus et illiberalitate ad aliquam humanitatem excolere studebant, non excludebantur consuetudine virorum ingenuorum; quamquam nonnulla opificii genera praeter cetera videbantur indecora et cum opprobrio obiicienda;[17]) male enim audiebant maxime sutores (*σκυτοτόμοι, νευρορράφοι*), quorum ars omnium vilissima existimabatur,[18]) ita ut homines debiles et inutiles proverbio sutorum nomine notarentur;[19]) quorum officinas quum frequentaret Socrates,[20]) quamvis et ipse illud opificium servos, non liberos homines decere iudicaret,[21]) ut more suo cum iis institueret sermones,[22]) adversarii cum contemptu et irrisione sermones sutorios (*λόγοι σκυτοτομικοί*) ei exprobrabant.[23]) Neque illiberalitatis famam et suspicionem fugiebant — ut mittamus portitores (*τελῶναι*)[24]) — fullones (*γναφεῖς*),[25]) institores,[26]) coriarii (*σκυτοδέψαι*),[27]) tonsores (*κουρεῖς*),[28]) balneatores (*βαλανεῖς*).[29]) At ne hos quidem, siquidem ad altiora studebant tendere, viri liberales plane a se arcendos putabant.[30])

---

17) *Βίοι ἐφ' οἷς ἄν τις ὀνειδισθείη.* Pollux VI, 128.

18) Plat. Charmid. 163 b. de rep. V, 456 d. Pollux l. l. Aristid. de rhetor. II, 41 fin. (Dindf.) Luc. Necyom. 17.

19) Plat. Theaet. 180 d. de rep. V, 466 b. Sutorum ars quum maxime videretur corpora debilitare („*οἱ σκυτοτόμοι ἐν σκιᾷ καθεζόμενοι ἐργάζονται καί εἰσιν ἐσκιατραφημένοι*“ Suidas; cfr. Aristoph. Plut. 162. Schol. ad Eccles. 408 (Dindf.). Hinc sedentarii sutores Plaut. Aulul. III, 5, 39), videbantur illi esse debiles et roboris expertes (*λευκοί*, Aristoph. Eccles. 385. 387. 432); propterea erat in proverbio: *λευκῶν οὐδὲν ὄφελος ἢ σκυτοτομεῖν* (Apostol. Proverb. XIII, 35. Appendix ad Paroemiogr. ed. v. Leutsch I, pag. 441), quod proverbium paroemiographi explicant: *ἐπὶ τῶν μηδὲν λυσιτελούντων.* Cfr. supra pag. 11.

20) Xen. Memor. I, 2, 37 (et ibi Breitenbach). Diog. Laert. II, 21.

21) Xen. Apol. Socr. 30.

22) In opificum officinis Socratem solitum esse de philosophia disputare satis notum est; cfr. Plat. Apol. 22 c. Aristid. *ὑπὲρ τῶν τεττάρων* II, pag. 181. Schol. ad Aristoph. Ran. 1528 (Dindf.).

23) Diog. Laert. II, 122. Cfr. Calliclis sophistae verba ap. Plut. Gorg. 491 a. Alcibiadis Sympos. 221 c. Ruhnken opusc. I, pag. 459.

24) Aristoph. Eq. 248. Theophrast. Charact. 7, 2. Luc. Gallus 29. Pollux l. l.

25) Pollux et Aristid. de rhetor. l. l. Plutarch, de vitioso pudore pag. 552 (Xylander): „*ἐθίζωμεν ἡμᾶς αὐτοὺς μήτε κουρεῖ μήτε γναφεῖ κατὰ δυσωπίαν χρῆσθαι.*“

26) Pollux, Plutarch. apophthegm. regum s. *Ξέρξης*, et cfr. supra pag. 15. Ex eorum genere pomarii (*ὀπωρῶναι*) sunt, quorum victum parum honestum visum praeter Pollucem docet Demosth. XVIII, 262. Adde *ὀψοποιόν* Luc. Gallus 27.

27) Aristid. l. l.

28) Maxime propter garrulitatem. Plutarch. de garrul. 13. Alciphro Epist. III, 66.

29) Aristoph. Ran. 710. Schol. ad Nub. 985 (Dindf.). Quamobrem eodem fere loco habentur scorta et balneatores. Aristoph. Eq. 1403. Scolion in Bergk. anthol lyrica (Lips. 1854) pag. 411. In proverbio erant *ἐπὶ τῶν πολυπραγμόνων* Diogenian. centur. III, 64. Hesych. s. v. *βαλανεύς.*

30) Cfr. Plutarch. de anima fragm. 3 apud Euseb. Praep. evang. XI, 36 (pag. 563. ed. Vigerus): „*Νικανδᾶς ἦν σκυτοτόμος, ἄλλως δὲ τῶν ἐν παλαίστραις γεγονότων καὶ πολλοῖς συνήθης καὶ γνώριμος.*“ Apud Lucian. Gall. 9 Micyllus sutor a divite quodam homine ad lautam vocatur coenam.

Omnino autem opificum consuetudinem, quamvis opificio illiberalitatis et infamiae notam inustam existimarent, ceteris non utique fugiendam visam esse, luculenter apparet ex eo more, quo quum in aliis Graeciae urbibus tum maxime Athenis cives solebant convenire in eorum tabernas et officinas. Etenim quamquam non deerant Athenis cauponae (*καπηλεῖα, πανδοκεῖα*),[31]) tamen parum viris honestis decorum videbatur ibi tempus terere,[32]) ita ut Hyperide teste Areopagitae quondam unum ex suo numero, quum in caupona prandisset, suo consessu excluderent;[33]) caupones enim (*πανδοκεῖς, κάπηλοι*) male audiebant,[34]) quod adulescentulis lubidinosis et dissolutis Veneris et aleae dare facultatem non dubitarent.[35]) At garrulos[36]) constat Athenienses fuisse et nova cognoscendi sermonesque de republica serendi studiosissimos;[37]) cui garrulitati et curiositati — ob quas quam acerbe a prudentioribus castigati sint in volgus notum est — ut indulgerent, locorum commoditas iis quaerenda erat. Et in foro quidem ambulandi[38]) opportunitate quum et rerum publicarum mercatusque strepitu et coeli tempestate saepius intercluderentur, non solum leschas, sed etiam opificum tabernas et officinas solebant petere,[39]) praesertim quum — id quod supra[40]) narravimus — plurimae in foro eiusque vicinia aperto aditu[41]) essent aedificatae; pagorum rusticorum cives videntur suam quique elegisse officinam vel tabernam, ad quam certis diebus convenirent nova inter se scitaturi negotiaque transacturi.[42])

---

31) Pollux VII, 16. 193. Aelian. var. hist. III, 14. Aristoph. Ran. 550. *πολυδοκεῖα* Plut. de vitioso pudore pag. 532 (Xyl.).

32) Isocr. VII, 49. Aelian. var. hist. IX, 19. [Plut.] vit. X orat. pag. 847 e. Diog. Laert. VI, 66. Chariton I, 7 Imperatorem Claudium Romae cauponas occludi iussisse tradidit Dio Cass. LX, 6. 7.

33) Hyperid. ap. Athen. XIII, 566 f. (fragm. 164. ed. Turic.).

34) Plat. de leg. XI, 918 c. Theophr. char. VI. fin. Mulieres quoque (*πανδοκεύτριαι*) ad hanc quaestus faciendi rationem incumbebant. Aristoph. Ran. 549 sqq.

35) Isocr. VII, 48. XV, 287. Aeschin. I, 53. Koch ad lex. Moerid. s. v. *σκιραφεῖα.* Benseler ad Isocr. Areopag. pag. 280 sq., maxime C. F. Hermann, *Privatalterth.* §. 52.

36) Plat. de leg. I, 641 e.: „*τὴν πόλιν ἅπαντες ἡμῶν Ἕλληνες ὑπολαμβάνουσιν ὡς φιλόλογός τέ ἐστι καὶ πολύλογος.*“ Gorg. 515 e. Chariton I, 11. et ibi Dorvill. pag. 125.

37) Demosth. IV, 10. XI, 17. Theophr. Char. 8 (*περὶ λογοποιίας*). Cfr. Act. Apost. 17, 21: „*Ἀθηναῖοι πάντες καὶ οἱ ἐπιδημοῦντες ξένοι εἰς οὐδὲν ἕτερον ηὐκαίρουν ἢ λέγειν τι καὶ ἀκούειν καινότερον.*“

38) Demosth. XVIII, 323. LIV, 7. Cfr Sauppe ad Demosth. IV. (I.) §. 10.

39) Lys. XXIV, 20: *ἕκαστος ὑμῶν εἴθισται προσφοιτᾶν ὁ μὲν πρὸς μυροπωλεῖον, ὁ δὲ πρὸς κουρεῖον, ὁ δὲ πρὸς σκυτοτομεῖον, ὁ δ' ὅποι ἂν τύχῃ· ἅπαντες γὰρ εἴθισθε προσφοιτᾶν καὶ διατρίβειν ἁμοῦ γέ που.*“ [Demosth] XXV, 52 Aristogitoni etiam probro vertendum putat, quod *οὐ προσφοιτᾷ πρός τι τούτων τῶν ἐν τῇ πόλει ἐργαστηρίων.* De Leschis vide C. F. Hermann, *Privatalterth.* §. 17, 23.

40) Pag. 30.

41) Hoc colligendum ex Aristoph. Eq. 744.

42) Lys. XXIII, 3. Rauchenstein, *ausgew. Reden des Lysias* pag. 209 (ed. IV.).

43) Aristoph. Plut. 337 sq. Plut. de garrul. 7. quaest. sympos. 5, 5. Stobae. floril. LXXXXV, 21 (Gaisford). Pherecrates ap. Athen. XV, 685 b.

44) Aristoph. Eq. 1375 sqq. Plut. Nic. 12. Idem ib. 30. et de garrul. 7. primum de clade Sicula nuntium narrat in tonstrinam in Piraeo aedificatam esse allatum.

Ibi sedebant confabulantes inter se,[43]) quum de rebus publicis,[44]) ita ut vel novarum rerum seminaria officinae haberentur,[45]) tum de negotiis suis privatis mutuoque commercio; nec deerant calumniae adversariorumque inter se fraudes et machinae,[46]) nec ridicula iocaque.[47]) Possessores autem officinarum tabernarumque etiam vinum videntur divendidisse iis qui ad ipsos convenerant,[48]) quod si ipsis vendere non placebat, de caupone solebat sumi prope alicubi habitante;[49]) itaque interdum animis ebrietate exagitatis res a verbis ad verbera et caedes veniebat.[50]) Non pauci iique pauperiores potissimum ex hiberno frigore se recreaturi in officinarum pariter atque in balnearum[51]) caloribus requiescebant.[52]) Omnium maxime frequentabantur tonsorum,[53]) medicorum,[54]) unguentariorum[55]) tabernae, quamquam ne sordidorum quidem opificum, velut sutorum,[56]) coriariorum,[57]) fabrorum ferrariorum,[58]) fullonum[59]) officinas fugiendas existimabant.

---

45) Isocr. VII, 15: „*ἐπὶ τῶν ἐργαστηρίων καθίζοντες κατηγοροῦμεν τῶν καθεστώτων καὶ λέγομεν, ὡς οὐδέποτ' ἐν δημοκρατίᾳ κάκιον ἐπολιτεύθημεν.*“ Lys. XXIV, 19.

46) Isocr. XVIII, 9: „*καθίζων ἐπὶ τοῖς ἐργαστηρίοις τοὺς λόγους ἐποιεῖτο ὡς δεινὰ πεπονθὼς ὑπ' ἐμοῦ.*“ Theophrast. char. 7, 4. Aelian. var. hist. III, 7.

47) Dionysius minor Syracusis expulsus Corinthi scurrae instar per tonstrinas vagabatur. Theopomp. ap. Aelian. var. hist. VI, 12. Quid quod Euthydicus medicus eo processit improbitatis, ut Timarchum (Aesch. I, 40) in sua taberna turpem quaestum facere sineret?

48) Demosth. LIV, 7. Itaque in edicto quodam posterioris quidem aetatis de servanda legitima in cibis et potulentis vendendis mensura (Corp. Inscr. n. 123. vol. I. pag. 165) et cauponarum et officinarum fit mentio. Cfr. de Alexandria urbe Strabonem XVII, 800 init.

49) Cfr. Plut. Timol. 14. Caupones (*κάπηλοι*) potissimum vinum vendidisse discimus ex Aristoph. Thesmoph. 737. c. schol. Plat. Gorg. 518 c.

50) Diog. Laert. I, 76, quamquam non de Atheniensibus, sed de Cumaeis loquitur.

51) Aristoph. Plut. 535. 952 sq. Alciphr. Epist. I, 23. et ibi Bergler tom. I, pag. 131 (Wagner).

52) Aristoph. Eccles. 420 sq.

53) *Κουρεῖα.* Lys. XXIII, 3. XXIV, 20. [Demosth.] XXV, 52. Aristoph. Plut. 338. c. schol. Aves 1441. Eupolis ap. Meineke fragm. comic. I, pag. 499. Theophr. Char. 12, 2. Plut. Nic. 30. de garrul. 7. Lucian. de conscrib. histor. 24 (et ibi C. F. Hermann pag. 156). Alciphro fragm. 5 (tom. II, pag. 222 Wagner). De Cardianis cfr. Athen. XII, 520 e., de Cumaeis Diog. Laert. I, 76. Graecorum morem videntur expressisse Plaut. Amphitr. IV, 7, 5. Epid. II, 2, 5. Terent. Phorm. I, 2, 38; quamquam eundem Romae fuisse eleganter exposuit Böttiger, *Sabina* II, 57 sqq.

54) *Ἰατρεῖα.* Schol. ad Aristoph. Plut. 338. Aelian. var. hist. III, 7.

55) *Μυροπωλεῖα.* Lys. XXIV, 20. [Demosth.] XXV, 52. Demosth. XXXIV, 13. Athen. XIII, 612 a. Theophr. l. l. Plut. Timol. 14. Alciphr. Epist. III, 24. Kock ad Aristoph. Eq. 1375.

56) *Σκυτοτομεῖα, σκυτία* Lys. l. l. Machon ap. Athen. XIII, 581 d. Stob. floril. LXXXXV, 21.

57) Aristoph. Eccles. 420. Xen. Memor. IV, 2, 1. (*ἡνιοποιεῖον*).

58) Aristid. *ὑπὲρ τῶν τεττάρων* II, pag. 181. Plat. Euthyd. pag. 300 b. Hesiod. Op. et dies 491.

59) *Γναφεῖα* Demosth. LIV, 7.

Addenda.

Ad pag. 5. De Hephaesto et Minerva opificii magistris adde hymn. homer. XX, 2. 5 (ed. Baumeister) et ibid. Baumeister p. 356.

Ib. De Prometheo L. Preller, *ausgewählte Aufsätze aus dem Gebiete der klassischen Alterthumswissenschaft, herausg. von Köhler* (Berlin 1864) p. 218 sqq.

Ad pag. 9. Legem de peregrinis in civium numerum recipiendis quin re vera Solon scripserit non dubitat Grote II. p. 106 (Meissner).

Jahresbericht über die Königl. Sächs. Landesschule zu Grimma.

Vom 14. September 1865 bis dahin 1866.

I. Chronik.

Indem der Unterzeichnete zum erstenmal den Jahresbericht veröffentlicht, kann er nicht anders, als dem Gefühl der gerührtesten und demütigsten Dankbarkeit gegen den Herrn Ausdruck zu geben, der aus überschwenglicher Barmherzigkeit die Schule nicht allein vor den Gefahren ansteckender Krankheit, sondern auch in den Bedrängnissen des Krieges so bewahrt hat, dass der Unterricht und die Studien keine Unterbrechung und Störung erfuhren.

Auch die Hohe vorgesetzte Behörde hat mit treuester unermüdlichster Fürsorge das Wohl der Schule in jeder Weise befördert und sich Anspruch auf herzliche Dankbarkeit von Seiten der Lehrer erworben, indem unter dem 8. November 1865 dem Professor Dr. Frohberger eine Gratification von 40 Thalern und unter dem 24. Januar 1866 dem Turnlehrer Haugwitz eine gleiche von 30 Thalern ertheilt worden ist.

Zu einer mit freudigster Dankbarkeit erfüllenden Nachricht mischt sich jetzt tiefer Schmerz. Der Stifter des so bedeutenden und segensreichen Stipendiums für unsere Anstalt, Herr Heinrich Wilhelm Göschen in der Oberlösnitz, früher zu London, sandte unter dem 6. November 1865, um 'dem Lehrercollegium einen kleinen Beweis seiner Anerkennung der Verdienste und Bemühungen um das von ihm gestiftete Stipendium zu liefern' 500 Thaler als 'einen Beitrag zu dem Fond für die Wittwen und Waisen der ordentlichen Lehrer, einer herrlichen Stiftung, welche gewis allen sehr lieb sein muss'. Dieser neue Beweis hochherzigster Fürsorge für das Wohl und die gedeihliche Entwicklung unserer Landesschule kann nur die Trauer verstärken, welche Aller Herzen erfüllte, als die Nachricht eintraf, dass der edle Schenker am 29. Juli 1866 auf der Reise nach England in Gent im 73. Lebensjahr plötzlich verstorben sei. Könnte jemals das dankbare Andenken an ihn aus den Herzen der Lehrer und Schüler schwinden, sollte jemals der Segen seines Verdienstes die Kraft zum edelsten Streben anzutreiben verlieren? Es wird fortbestehen und jährlich durch würdige Feier im Gedächtnis aufgefrischt werden.

Am 12. December vorigen Jahres wurde in üblicher Weise das Geburtsfest Sr. Majestät des Königs gefeiert. Den am Vormittag veranstalteten Actus eröffnete der Gesang des 100. Psalms von Mendelssohn-Bartholdy. Die Festrede vom Professor Dr. Frohberger behandelte die Verdienste des Kurfürsten August. Nach dem Gesang des Ave verum cet. von Mozart sprach der Primaner Gustav Adolf Siebenhaar aus Penig in lateinischer Rede de Aeschyli Eumenidum stasimo secundo. Ihm folgte der Primaner Franz Julius Kaulfers aus Chemnitz mit einer lateinischen Ode: G. Matius dehortatur G. Julium Caesarem, ne regnum appetat. Nachdem der Primaner Friedrich Wilhelm

Heinrich Ahlfeld aus Dorf Alsleben ein deutsches Gedicht: Sächsische Bürgertreue unter Markgraf Friedrich dem Gebissenen vorgetragen hatte, wurde mit dem Gesang: ‘Den König segne Gott’ der Actus geschlossen. Der Abend vereinigte das Lehrercollegium mit ihren Angehörigen und den Cötus zu einer musikalischen Abendunterhaltung, bei welcher unter Leitung des Herrn Cantor Böhringer ‘Scenen aus der Frithjofs-Sage’, von Max Bruch und ‘Meeresstille und glückliche Fahrt’ von Beethoven vorgetragen wurden.

Schon längere Zeit hatte der Rector und erste Professor der Königlichen Landesschule, Herr Dr. Eduard Wunder, Ritter des K. S. V.-O., im Gefühle zunehmender Leibesschwäche bei dem Hohen Königlichen Ministerium seine Emeritierung beantragt. Längere Zeit trug, in der Hoffnung dass seine Gesundheit sich wieder kräftigen werde, die Hohe Behörde Bedenken dem Manne, dessen Scharfsinn und Gelehrsamkeit die ganze gelehrte Welt anerkennt, dessen christlicher Sinn und sittlicher Ernst mit tiefer pädagogischer Einsicht und Erfahrung verbunden an einer grossen Anzahl von Schülern den reichsten Segen gestiftet, der 43 Jahre an der Königlichen Landesschule gewirkt und seit 1843 das Rectorat in seltner Vortrefflichkeit geführt, seine Bitte zu gewähren, konnte aber doch, obwohl mit schmerzlichem Bedauern, auf wiederholte Vorstellung nicht umhin, als unter vollster Anerkennung der Verdienste durch Verordnung vom 26. Februar d. J. den Uebertritt in Pension mit Pfingsten zu bewilligen. Am 18. Mai nahm der hochverehrte Rector von seiner Schule Abschied. Von den Beweisen der Achtung, Liebe und Dankbarkeit, welche ihm von den Lehrern und Schülern bei dieser Gelegenheit überreicht wurden, theile ich als ein vollgiltiges Zeugnis die Votivtafel des Lehrercollegiums mit:

Q. B. F. F. F. Q. S.

EDUARDUM WUNDERUM

DOCTOREM PHILOSOPHIAE ET A. LL. MAGISTRUM, ILLUSTRIS APUD GRIMAM MOLDANI RECTOREM ET PROFESSOREM I. ORDINIS SAXONICI VIRTUTIS CIVICAE EQUITEM

COLLEGAM CONIUNCTISSIMUM ET PLURIMUM REVERENDUM

VIRUM GRAVISSIMUM ET AMPLISSIMUM, PIETATE, INGENIO ET DOCTRINA ORNATISSIMUM, INGENIO ANIMI CANDORE NON MINUS QUAM CONSTANTIA AC FIDE PRAESTANTISSIMUM, IN REBUS AGENDIS MAXIME STRENUUM

POSTQUAM PER INTEGROS QUADRAGINTA TRES ANNOS ADOLESCENTES DISCIPLINAE ILLUSTRIS MOLDANI COMMISSOS QUA POLLET EXIMIA AC RARA DOCENDI SOLLERTIA AC DILIGENTIA ITA ERUDIVIT, UT ANIMOS EORUM ET AD STUDIA LITTERARUM COLENDA INCENDERET ET AD HONESTISSIMA QUAEQUE SECTANDA INCITARET, IDEMQUE LUDUM ILLUM ILLUSTREM CUM DEO BENE IUVANTE PER ANNOS VIGINTI QUATTUOR TANTA SAPIENTIA TANTAQUE GNAVITATE GUBERNAVIT, UT LAETISSIMA CAPERET INCREMENTA

DIE XVIII. M. MAII A. MDCCCLXVI.

OB VALETUDINIS IMBECILLITATEM IN OTIUM HONESTISSIMUM SE REFERENTEM

QUOD NOBIS ET RELIGIONE OFFICII ET DOCENDI ARTE EXEMPLO FUIT, QUOD DISCIPLINAM SEVERE REGENDO NON SOLUM DISCIPULORUM SALUTI EGREGIE CONSULUIT SED ETIAM MAGISTRORUM AUCTORITATI INSIGNITER FAVIT, QUOD COLLEGAS ALIOS ALIIS NOMINIBUS MAGNOPERE SIBI DEVINXIT

GRATISSIMIS ANIMIS, PIA VOTA PRO SALUTE ET INCOLUMITATE CAPITIS CARISSIMI NUNCUPANTES, PROSEQUIMUR

COLLEGAE ILLUSTRIS MOLDANI CUNCTI

EDUARDUS COTTA. CAROLUS RUDOLFUS FLEISCHER. AUGUSTUS FRIDERICUS MÜLLER. CAR. HERM. LOEWE. FRIDERICUS ALFREDUS GILBERT. AENOTHEUS BERNARDUS DINTER. GERARD. AUG. HERM. FROHBERGER. HERMANNUS WUNDER. ERNESTUS GUSTAVUS KOCH. RUDOLPHUS SAMUEL BÖHRINGER.

Zum Nachfolger ernannte das Hohe Königliche Ministerium unter dem 14. April den Unterzeichneten, welcher, nachdem er von August 1840 bis Michaelis 1861 an der Königlichen Landesschule als Lehrer, zuletzt als Klassenlehrer der Secunda gewirkt, von da an das Directorat der vereinigten Gymnasial- und Realschulanstalt zu Plauen verwaltete. Am 28. Mai fand die Einweisung statt, zu welcher das Ministerium den Herrn Geheimen Kirchen- und Schulrath Dr. Gilbert, Ritter u. s. w., abgeordnet hatte. Nachdem um 9 Uhr im Synodenzimmer die Verpflichtung vollzogen war, wurde um 10 Uhr die feierliche Handlung in Gegenwart der Behörden und vieler angesehner Männer der Stadt durch den Gesang einer Motette vom Schülerchor eröffnet. Herr Geheimer Kirchen- und Schulrath Dr. Gilbert u. s. w. überreichte zuerst unter ehrendster Anerkennung dem emeritierten Rector Professor Dr. Wunder das ihm von Sr. Majestät verliehne Komthurkreuz II. Classe des Königl. Verdienstordens, führte darauf den künftigen Rector in sein Amt ein und richtete an die Schüler in goldnen Worten herzliche Ermahnungen, mit christlichem Geist der Genusssucht zu widerstehen und die Gewohnheit verschlossner Lügenhaftigkeit nicht unter sich einreissen zu lassen. Nachdem die Inspectoren im Namen des Cötus durch Handschlag das Gelöbnis des Gehorsams gegeben hatten, trat der Unterzeichnete sein Amt mit folgender Rede an, welche er nach manchem Bedenken hier, um ein Zeugnis von den Entschlüssen und Gesinnungen zu geben, mit welchen er das hochwichtige Amt übernommen, abdrucken zu lassen sich entschlossen hat.

Adlocut.

Quamquam quae hoc die animum meum permovent, patrio sermone me lubentius, facilius, expeditius declaraturum et expressurum fuisse haut infitior neque umquam dubitavi, quin ita quae dicturus essem ab iunioribus et minus exercitatis melius intellegerentur, perciperentur, tenerentur, tamen morem vetustate sancitum ut qui munus praeceptoris in hac schola capessant, id latina oratione inaugurent, eo magis retinendum putavi, quia nullum tristius omen est, quam ab eis, quae maiores prudenter instituere, temere ac leviter descivisse. Set quoniam his diebus tam multa me perculere atque obpressere — etenim ne conmemorem ab terroribus, qui nunc cuiusque patriae amantis pectus ad timorem et trepidationem adegere, me quoque non alienum fuisse, ab discipulis ut carissumis ita amantissumis, ab conlegis coniunctissumis et amicissumis, ab cognatis, propinquis, familiaribus meum et meorum discessum graviter vel tenere plangentibus nisi summo cum dolore abire non potui et rerum omnium mearum in brevissumo tempore huc transferundarum curae ac labores non animi magis quam corporis vim et valorem defatigavere — enixe vos, a., rogatos atque oratos volo, ne nitidam potius ac splendidam quam simplicem et inpolitam a me orationem expectetis et desideretis. Nec vero quae modo de discessus doloribus atque aerumnis dixi, ita, a., ab vobis intellegi cupio, quasi invitus et necessitati cedens ad vos venerim: immo summa religione ac pietate testor me Deo omnipotenti et clementissumo ut omnium sic mearum quoque rerum arbitro et gubernatori laetissuma mente grates agere atque habere, quod me in hunc locum redire voluit. Redire voluit, inquam. Neque enim ignotum mihi hoc oppidum est: multum temporis quamvis non prorsus sine calamitatibus et angoribus, tamen plerumque laetus ac felix hic exegi. Non ignota mihi haec schola est: plus quattuor lustra in ea praeceptoris munus sustinui, non sine omni successu iuvenes docui atque institui, multo plura ipse didici. Nec possum nisi gratissumo animo amicitiae ac caritatis recordari, quae me cum optumis conlegis et amantibus discipulis per illud tempus coniunxit. Quasi ab peregrinatione igitur ad patrios penates redux factus sum. Unde, quamvis quot quantaque hoc munus ab summis rerum ecclesiasticarum et scholasticarum moderatoribus mihi delatum ab me postulet atque efflagitet non sim nescius, quamvis intellegam quam difficile sit locum viri pietate doctrina prudentia insignis, quem valetudine corporis gubernacula huius scholae tam multos per annos sapientissume et felicissume tractata alii tradere coactum esse ego ipse vehementissume doleo cuique me pluruma atque maxuma debere gratissumo semper animo praedicabo — huius igitur, inquam, viri locum pari dignitate et honestate obtinere, tamen quid obstat, quo minus hoc munus cum aliqua bona spe suscipiam, cum eam spem non modo memoria eorum, quae

mihi munus, quod adhuc gessi, abdicanti amica et grata obtigere, set etiam recordatio illorum, quae olim hic laeta ac felicia expertus sum, confirmet atque augeat.

At quo modo bonam spem et ipse capere possum et alios de me concepturos esse sperare, nisi quid munus meum a me postulet me non solum non ignorare set omni studio atque ardore amplecti ostendero? Quid autem ei qui ad scholam regundam vocetur, diligentius considerandum atque expendundum est, quam quo consilio illam auctores condiderint quaque ratione posteri habuerint? Constat igitur scholas provinciales ab Mauritio, lumine Saxoniae, consilio atque auctoritate virorum de ecclesia et de literis optume ac praeclarissume meritorum conditas atque institutas esse, ut pueri bonis ingeniis evangelium recte perdiscerent, praeterea artibus liberalibus, in primis veterum litterarum studiis excolerentur, denique contubernio severe ac sobrie educarentur, quo postea ecclesiae, civitati, generi humano non solum prudentia sua et doctrina set etiam pietate et virtute usui forent. Nec minus constat duabus his laudibus, doctrinae subtilitate atque elegantia, morum integritate et honestate, scholas illas semper non modo per Germaniam, set per omnes gentes ita floruisse, ut relicuarum scholarum praeclarissuma et amplissuma exempla haberentur. Quas laudes ut huic scholae integras atque intaminatas conservem me omnibus viribus enisurum atque elaboraturum esse summa fide et religione voveo ac spondeo nec quidquam ab Deo omnipotenti ardentius subplex precor, quam ut hanc meam voluntatem confirmet, adiuvet, ad eventum ducat. Quoniam autem utraque laus nostra aetate acerrumis obtrectationibus atque infestationibus in dubium vocata est, qui eas conservandas suscipiam, meum esse puto, ut quibus rationibus et caussis adductus ita censeam, ostendam. Nec vero de omni doctrinae genere dicam, set studia antiquitatis, quippe quae plurumi ex scholis expellenda et removenda esse dictitent et clament, cur mihi etiamnum diligenter colenda atque tractanda videantur, exponam. Duo autem cum sint advorsariorum genera, alii vel ignorantia atque invidia vel rerum novandarum ardore vel veri quodam odio atque contemtu de eis detrahant, alii ne christianae religionis fides atque amor eis tractandis minuantur et tollantur metuant, non advorsus illos agam set ita circumscribam argumentum, ut data hac dicendi oportunitate quam vim et efficacitatem studia antiquitatis ad pietatem atque honestatem habeant, quam brevissume potuero, disseram.

Primum igitur non satis est provocare ad iudicia eorum, quorum consiliis atque auctoritate scholae provinciales institutae et conditae sunt. Etenim qui ita disputaverit: quid? illine, quo fuere evangelii amore quaque prudentia et sapientia omnia quae ad eum amorem confirmandum valerent circumspexere, quae ab eo avorterent et abducerent removere, studia antiquitatis in scholas admisissent, si ea christianae fidei ac pietati quasi inimica et infesta esse censuissent? nos igitur, quos ab illis fidei firmitate et pietatis ardore longe superari nemo est quin cum pudore confiteatur, quae illis sine periculo tractari visa, nimia quadam verecundia atque anxietate contemnemus ac fugiemus? ei haut iniuria haec obicientur, illos non aliud habuisse quo puerorum ingenia excolerentur et exercerentur: cum temporibus mutari scholarum conditiones: nunc multa esse scientiae genera, quae illi non novissent, quibus qui nunc eruditi esse et haberi velint, inpertiundi sint quaeque vim summam ad acuenda ingenia exerceant: quae si illi cognovissent, non futurum fuisse ut ad id genus confugerent, quod non sine periculo tractari ipsi intellexissent. Quamquam ab praeclarissumis illis viris, quos ob restitutam integritatem ac puritatem ecclesiae satis laudare ac venerari non possumus, hoc adminiculum ac fulcrum sententiae meae laetissume accipio: esse certe studiorum antiquitatis tractandorum rationem ac viam, qua quae pietati et honestati nocitura videantur, evitari ac removeri possint.

Nec minus reiciunda mihi videtur ea argumentatio, qua multi utuntur, cum tantum abesse dicunt, ut illis studiis animi iuveniles ab christiana veritate avortantur, ut ad eam perducantur et praeparentur, omnique subtili et acri cuiusvis disciplinae vel artis studio progressus in illa pernoscenda augeri atque adiuvari dictitant. Recte quidem: quaecumque homo pius ac religiosus tractat, ad confirmandam fidem ei usui sunt, set eisdem inpius atque inreligiosus advorsus illam obdurescit, quid quod ex eis pertinaciam atque audaciam ad contemnendam atque inridendam haurit. Tum rerum naturalium omnium diligentissuma pervestigatione, rerum humanarum acutissuma exploratione, acriter cogitando, subtiliter contemplando si homines res divinas recte cognoscere atque intellegere possent, nonne veteres philosophi ac poëtae ad eam scientiam pervenissent? Si generi humano orationibus distinctis atque ornatis de divina veritate persuaderi posset, cur Iesus Christus, dominus ac servator noster, ex simplicibus et rusticis hominibus potius quam ex urbanis et doctis eos delegisset, quos evangelii sui testes ac praedicatores esse voluit? Quale Dei numen qualesque res divinae sint nemo cogno-

scit, nisi cui — utendum enim est vocabulo technico — ipse Deus id revelaverit, atque ut liberrume sic verissume de docendi atque persuadendi sua ratione Paulus apostolus hoc confessus est: *Ἃ καὶ λαλοῦμεν οὐκ ἐν διδακτοῖς ἀνθρωπίνης σοφίας λόγοις, ἀλλ' ἐν διδακτοῖς πνεύματος, πνευματικοῖς πνευματικὰ συγκρίνοντες.*

Set quae modo conmemoravi potius quam exposui, ad nihil aliud pertinent, nisi ne nimium quoddam ab antiquitatis studiis aut postuletur ac speretur, aut timeatur et metuatur. Ante omnia enim hoc tenendum est, ut caeteras omnes scholas sic gymnasia christiana quidem semper fuisse, adhuc esse, perpetuo manere debere, tamen ab omnibus aliis scholis eo differre, quod pueros ad doctrinam atque eruditionem instituendos et praeparandos, quod ingenia non ad solam pietatem, set ut Melanthonis verbis utar, ad doctam et eloquentem pietatem conformanda suscipiunt. Quae non ita dico, quasi fidem et pietatem, virtutem atque honestatem non in omnibus easdem esse censeam, set ab aliis in aliis rebus exercendae sunt. Qui ex his scholis prodeunt, aliis lumen praeferre potius debent quam sequi: iura dare potius quam accipere: valetudini corporis aliorum prospicere potius quam suam curare: omnia quae in advorsis subsidia, in secundis ornamenta sunt, ipsi tractare magis, quam paratis frui. Quae cum sine pietate atque honestate agere non possint, tamen suis praeterea instrumentis egent, quibus volgus si non prorsus carere, certe non pari modo inpertiri possit. Neque illud neglegendum, eos, qui in scholas provinciales recipiantur, non prorsus ignaros et inperitos esse legum Dei et divinae veritatis, haut paucos iam ad sacramentum altaris admissos, plerosque id paullo post adsecuturos. Quamvis autem propterea ingenia non primis elementis doctrinae christianae inbuenda sint, tamen ne quae teneant, labefiant, infringantur, deleantur, eo diligentius cavendum est, quia in litterarum et artium studiis multas et graves inlecebras esse constat, quibus homines ut sua inventa praeceptis divinis anteponere, primum de his dubitare, tum temere diiudicare, postremo ea contemnere audeant perducantur. Unde luce clarius est, omnes litteras et artes ita in his scholis esse tractandas, ut periculum illud evitetur et arceatur, set simul id genus diligentissume ac maxume adsidue esse colendum, quod plurumum ad confirmandam pietatem et eam, cuius quasi fons ac parens est, honestatem conferant. Eam autem vim et efficacitatem in studiis antiquitatis inesse mihi persuasissumum est.

Primum igitur ad acuenda, conformanda, excolenda ingenia iuvenum nihil aptius, nihil utilius esse, quam diligens ac subtile studium antiquarum litterarum, cuncti qui ex his scholis prodiere ac variorum generum hominum cognoscendorum copiam habuere, uno ore testantur. Et quamquam nullo tempore defuere, qui ea studia e scholis aut prorsus removenda aut artioribus finibus circumscribunda esse declamitarent, cum aut quae quantaque ipsi eis deberent inmemores essent, aut per nimis longas ambages iuventutem ad ea, quae ad vitae usum pertinerent, duci statuerent, aut denique si non osores, certe contemptores earum ingeni virtutum essent, quae illis studiis gignuntur, tamen locum suum semper obtinuere atque adeo his temporibus, quibus plerique auri et conradendi et ecfundendi cupiditate abripiuntur, inter eos, qui conmercantur ac lucrantur, multi usu edocti sunt, id ingeni acumen eamque exercitationem, quam gymnasia praebeant, nulla alia disciplina exaequari aut conpensari. At ne cui ab proposito aberrasse videar, cum non quam vim studia antiquitatis ad acuenda ingenia, set quam ad pietatem atque honestatem habeant, me ostenturum esse pollicitus sim, lubenti mihi et laetanti hoc contigit, ut qua illorum tractandorum ratione ingenia optume excolantur, eadem plurumum ad veram virtutem conferat. Quae enim pietas est sine integerrumo veri amore? Quid autem is amor valet, nisi veri intellegundi, percipiundi, inveniundi non modo facultas adcesserit, verum etiam exercitatio quaedam et consuetudo? Eo instrumento si careat, nonne extinguitur et deletur? Quippe ita nati et geniti sunt homines, ut quos labores numquam exantlaverint, quas vias arduas et iniquas numquam temptaverint aut numquam superaverint, ab eis prorsus abhorrere incipiant. Exercitatio virtutem non gignit quidem, set confirmat atque conroborat: ignavia cum debilitate ac socordia coniuncta est, neque veri studium ab virtutis divorsum est. Nemo turpius errat, quam qui omnia vera ipsum se invenire posse confidat: etiam multo turpius qui de eis, quae ipse invenerit, aliis se persuadere posse opinetur, si non didicerit. Nolumus laudes eorum virorum deminuere, qui primi quae generi humano utilissuma essent, aperuere et produxere, set eos aliorum vestigia legentes ad eam laudem escendisse utique concedendum est. Quid plura de re, de qua nemo umquam dubitavit neque dubitabit? Set qui tandem quisquam ea, quae alii invenere et docuere, recte atque ita ut non caeco quodam inpetu adripiat, set qualia sint prudenter ac sobrie diiudicet, cognoscere poterit, nisi vel minuma verba adcurate expendere itaque quae illi senserint et censuerint, ad summam usque perspicui-

consuetudinis vis!

tatem atque subtilitatem examinare consueverit? Consueverit, inquam. Etenim quam operosi quamque tardi essent progressus, nisi velocitas quaedam et celeritas percipiundi et persequendi accederet? Iam veterum linguae ab nostro sermone ut divorsissumae sunt, ita legibus ingenio humano insitis atque innatis prorsus convenientes. Eam ob caussam in antiquarum litterarum studio hanc vim inesse, ut ingenia subigantur nihilo addito, nihilo subtracto ex ipsis verbis, quidquid traditum est, prorsus atque sine omni fuco intellegere, neque quidquam aptius esse ad iuvenes eos conformandos et excolendos, qui quondam, non dicam in excelso, set in excelsioribus muneribus vitam exigere cupiant, omnibus aetatibus innumerabiles viri docti et prudentes testati sunt, testata est rerum gestarum memoria, quae ita ut omnis dubitatio exempta sit, docet, cum denuo ex situ et tenebris antiquae litterae revocatae essent, novam generi humano lucem adfulsisse. Ad quae inlustranda et confirmanda illud quoque haut minumi momenti est, quod quamquam tempora, per quae in latino sermone omnis elegantia inesse putabatur isque inter litteratos homines, quid quod inter legatos omnium gentium unum communionis vinclum erat, prorsus conmutata sunt, tamen etiamnum dicendi scribendique exercitationes retentae atque adeo ad graecum sermonem translatae sunt, nullam aliam ob caussam, quam quod nil magis cogat notiones, cogitationes, vocabulorum vim atque usum ab omnibus partibus considerare et penitus perpendere, ut alieno sermone recte exprimantur. Quodsi quis annon adsidua litterarum antiquarum tractatione detrimenti aliquid patrii sermonis elegantiae, facilitati, gravitati inferatur, quaesiverit, satis est testes producere praeclarissumos nostros poëtas ac scriptores, Lessingium, Goethium, Schillerum, permultos alios, qui non solum quid ipsi illis studiis deberent, set etiam quanto opere, si ea umquam tollerentur, dolituri essent, una voce confessi sunt. Profero praeterea testimonium eius viri, quem omnes praeceptores egregium exemplum pietatis et doctrinae simul et rerum scholasticarum prudentissumum existumatorem venerati sunt, Doederlinii, qui si verborum paradigmata et minutissumae regulae grammatices memoria recte perciperentur, artis logicae praecepta non disci, set quasi inbibi a pueris saepius acute ostenderit. Nolo plura: tanta enim est copia, ut si exhaurire vellem, dies non sufficeret. Iam quid ab eo, qui verae religionis praecepta ita tenere velit, ut non solum ipse summam et integerrumam fidem eis habeat, set alios edoceat eisque lumen praeferat — id quod non de futuris theologis tantum dictum volo: omnes, inquam, docti, cuicumque generi litterarum operam navant, id officii habent — ab tali igitur quid magis postulatur, quam ut quae Iesus Christus, Dei filius, et eius apostoli, quaeque veteris Testamenti prophetae et scriptores tradidere, penitus percipere sciat, ut advorsariorum aut dubitantium sententias, argumenta, controvorsias exquirere et ad amussim examinare, uti denique quae ipse percepta et intellecta teneat, non solum recte et commode, set etiam ad persuadendum apte scribere et eloqui possit? Nonne igitur illud, quod litterarum antiquarum studiis in ingeniis gignitur atque ecfingitur, vim atque efficacitatem habet haut contemnendam ad pietatem? Atque sui prorsus oblitum, quaecumque praecepta sint et praecipiantur, recte intellegere nonne is primus gradus est virtutis et honestatis, quae ne leges divinas atque humanas nostro arbitrio interpretemur, set ut quod vere praescribant, omnibus nostris sensis et lubidinibus posthabitis volentes sequamur postulent?

Ex quibus cum adpareat, antiquitatis studia strenue et diligenter ita esse tractanda, ut ingenia non modo acuantur, set etiam modestia et veri amore inpleantur, altero iam loco quaerendum est, annon periculum sit, ne eis, quae aput scriptores veteres legant, iuvenes ab fide veritate christiana avortantur atque abducantur. Quamquam igitur illud periculum, quod cum omni altiore et extentiore doctrina coniunctum esse antea dixi, nec tamen quisquam in scientia et litteris ipsis positum esse contendet, ab ea ingeniorum eruditione, quae studiis antiquitatis paratur, prorsus abesse nemo erit, qui adfirmare audeat, tamen meo iure id obtenturus mihi videor, nullum genus litterarum aptius esse, quo quantum benificium summus Deus per filium suum generi humano praestiterit, declaretur, praesertim cum — id quod supra conmemoravi — qui ad illa adcedant, ab christianorum praeceptorum scientia non prorsus alieni eamque ob caussam rectius de antiquitate iudicandi facultate quadam et acriore sensu praediti sint. Atque ipsa illa studia tempore procedente iam prorsus conmutata sunt. Quae antea in verbis et generibus dicendi intellegundis, existumandis, imitandis potissumum vorsabantur, Fr. A. Wolfius primus ad omnis antiquitatis perscrutationem et cognitionem traduxit. Itaque iam inde ab eo tempore viri praeclarissumi actque doctissumi quidquid ab antiquitate relictum est, in censum vocavere: quidquid in vita vel publica vel privata ab veteribus populis institutum, inlustravere, quidquid de rebus divinis illi senserunt, quidquid in numinibus colendis secuti sunt, exploravere. Nec satis: ea omnia velut uno conspectu conprehendere, per omnes mutationes ab principiis et originibus us-

que ad interitum persequi, cum aliis vel antiquioribus vel posterioribus gentibus conparare conati sunt. Quamquam vero ea pars huius scientiae, quae totius quasi fundamentum est, verborum et sermonis intellegentia, in scholis potissumum locum suum habet atque habere debet, tamen profundioribus illis et altioribus studiis tam clara lux adeo faciliores scriptores illustravit, ut qui eam neglegere ac spernere velit, aut caecus aut levis esse videatur. Ubi autem scriptorum interpretatio ita instituitur, ut quantum fieri possit, quae quaque ratione senserint, percipiantur, atque omnes res, quae ab eis scriptae vel tactae sunt, non modo cognoscantur, set etiam ab originibus suis quaeque repetantur, atque lectitatio diligentia non neglecta ita in ampliorem ambitum extenditur, ut rerum decursus eiusque interiores caussae, quatenus id iuvenes ipsi sua opera adsequi possunt, perspiciantur, ubi igitur non modo quae in veteribus lucent atque splendent, verum etiam quae tenebrarum ac noctis tristitia obtecta sunt, in conspectu ponuntur, timendumne erit, ne animi iuveniles ab pietate, quam Deo benignissumo ac clementissumo debent, abstrahantur ac prohibeantur? Is qui perspexerit, ne acutissumos quidem et doctissumos homines, ne excelsissumos quidem et altissumos poëtas acerrume cogitando cunctasque res perscrutando hoc consecutos esse, ut unum esse Deum crederent magis quam suspicarentur eamque divini numinis notionem mentibus informarent, quae rationi et animo satisfaceret, nonne Deo subplex intimo pectore grates habebit et aget, quod sibi iam ab primo spiritu illa tradita sint? Quam turpibus vitiis veteres, quamvis quae recta et honesta, quae contra naturam ac societatis humanae rationem essent, non persentirent tantum, verum etiam summa eloquentia docerent, praecipites iverint, qui perspectum habeat, nonne gratissuma mente Deum adorabit, qui sibi non intellegentiam solam, set etiam vim, qua lubidinum et cupiditatum inlecebris fortiter resistat, dederit? Nil magis veteres metuebant quam mortem. Qui elatioribus ingeniis erant, in magna gloria atque posteritatis memoria inmortalitatem rati, naturae necessitati aequo animo cedendum esse opinabantur, alii vitae suae ipsi finem inponere desperatione adacti non dubitabant, fuere adeo, qui morte voluntaria virtutem ostendi laudemque summam quaeri existumarent. Quae nos intuentes nonne Deo clementissumo piam gratiam habebimus, quod nos hanc vitam recte aestumare docuerit, neque solum laetissumam spem de rebus post mortem futuris adcenderit, set etiam certissumam viam ad illius terrores superandos ostenderit? Quodsi suspiria et gemitus virorum honestissumorum, vitam humanam per vitia intolerabilem factam neque in superstitionibus quidquam auxili aut fiduciae esse conquerentium ardentissumeque extremorum malorum ecfugium, pacis tranquillitatisque restitutionem, rerum humanarum omnium convorsionem desiderantium, scripta eorum legens audiveris, tamne hebes et caecus eris, ut in luctu atque tristitia perseverare malis, quam ad eum confugere, qui omnia prospera et fausta se tibi praebiturum non modo promiserit, set adeo anima sua divina pro tuis totiusque generis humani peccatis oblata confirmaverit? Ut paucis conplectar, per omnem antiquitatem voces personant doloris plenae, quae lucem deesse conquerantur, per omnem antiquitatem tristia, dira, terribilia in conspectum veniunt, quibus quantum benificium Deus omnipotens per filium suum hominibus miseris praebuerit inlustretur ac declaretur.

At fierine posset, ut iuvenes amore quodam ac studio veterum scriptorum legendorum adcenderentur, si omnia ad tristitiam, miserationem, terrorem permoverent, nihil animos ecferret, erigeret, admirationem sui iniceret? Quamquam autem scriptores, qui ecclesiae patres adpellantur, suo iure monuere, quae virtutes veterum viderentur, splendentia vitia potius esse, — etenim nemo ignorat, nisi quod ab integerrumo Dei amore oriatur, nil rectum aut honestum esse, atque illis verendum fuit, ne aequales sui admiratione maiorum ad falsa sacra reciderent —, tamen species quasdam virtutis in eis fuisse, tantum abfuit ut negarent, ut apostolus Paulus conscientiam recti ac pudorem in falsos deos colentibus tamen remansisse testatus sit. Atque in veterum libris multa esse ad excitandos atque cohortandos animos apta et utilia, ipsi illi ecclesiastici scriptores agnovere, sententiis et dictis ex illis sumptis libros suos distinguere et inlustrare amantes. Quin falsi fuerint dei, quos veteres populi adoravere, quis adeo puerulus dubitat? At quis, nisi prorsus obtuso ingenio sit, quanta pietate, quanta reverentia, quanto ardore praeclarissumi poëtae preces ecfuderint, non sentit? quis talia legens ad verum Deum pie et sancte colendum non instigabitur et incendetur? Superstitionem eam fuisse, qua veteres, in primis Romani, explorare deorum voluntatem se posse opinati sunt, ut nil nisi auspicato susciperent, nemo negabit, neque superstitione prorsus liber fuit Sophocles, cum praeclara Oedipodis Colonei fabula neminem nisi qui totum se deorum iussis ac monitis regendum tradidisset, quietem nancisci posse aequales suos docuit: at qui ea legerit, nonne hoc sibi quoque praescriptum esse meminerit,

ne quidquam nisi quod dei voluntati non adversari intellexerit, incipiat, utque quidquid deus sibi decreverit, animo verecundo et modesto sustineat? Antigone illa nonne omnibus exemplo est, omnia commoda et laeta, quid quod vitam abiciundam potius esse, quam divinis iussis non oboediendum contestata? Atque ex illis ipsis superstitionibus, quas Graeci de sepeliendis mortuis observarunt et obtinuerunt, nonne tanta teneritas atque humanitas elucet, quam nemine, ne Christiano quidem, indignam esse quivis concesserit? Quae aput Ciceronem legimus (Phil. XI 12, 28), legem esse rectam et a numine tractam rationem inperantem honesta, prohibentem contraria, prorsus conveniunt cum nostra religione, quae omnem rei publicae ordinem ab deo originem repetere atque ob pietatem illi debitam tuendum atque observandum esse doceat. Summam vel omnem potius virtutem in eo positam, ut nosmet ipsi vincamus, quaeque in officiis esse sciamus eis omnes voluptates et commoda posthabeamus, ethicae christianae non repugnat. Quidni igitur nostris iuvenibus exemplo poterit esse Aristides, qui cum patria in extremo discrimine vorsaretur, ab exilio indignissumo redux, omni se inimicitia advorsus Themistoclem atque ira abiecta, illius consilia patriae utilia, quo modo posset, se adiuturum esse ultro professus est? Quidni exemplis poterunt esse viri illi fortissumi, qui sanguinem suum profundere, quam patriam barbaro servire pati maluere?

Nolo plura. Unum hoc adiecisse satis est: scientiam, doctrinam, humanitatem tantum abfuit, ut christiana religio contempserit atque excluserit, ut eas susceperit suaque luce inlustrandas curaverit. Omnis vero doctrinae atque humanitatis quasi fundamenta Graecos et Romanos iecisse neque ea ab aliis melius quam ab illis ipsis disci, ad unum omnes docti consentiunt. Quae si vere a me disputata sunt, non vereor ne in vituperationem incurram, cum, studia antiquitatis, quorum laude haec schola provincialis non solum aput doctos, set etiam aput illos, qui eius disciplina usi sunt, floret, quorum permulti quantam consolationem adeo in senectute inde percepissent, gratissumis animis confessi sunt, ne minuantur ac debilitentur me enisurum esse professus fuero. Eoque minus illud vereor, quod ex eo quem tenui, studiorum meorum cursu satis adparere mihi videtur, me non caeco quodam amore illuc abripi, set quid nostra aetas suo iure postulet, non ignorare. Quantum rerum gestarum memoriae tribuam, qui quod temporis ac laboris, quo ad eam iuvenibus facilior aditus patefieret, inpenderim non prorsus ignoraverit, vix dubitabit. Nec minore amore me patriarum et recentiorum litterarum studia, mathematices et scientiae rerum naturalium elementa conplecti eo in munere, quod per hos paene quinque annos gessi, satis ostendisse mihi videor. Quae non dico, quo mihi in laudem trahi cupiam, set ut quae in voluntate habeam declarem. Profecto non nescius sum, quam difficile sit et arduum hoc consequi, ut discipuli in antiquitatis studiis cum ardore et voluptate diligenter elaborent simulque ex relicuis disciplinis quod satis sit bonae frugis percipiant, set confido prudentia ac benivolentia conlegarum doctissumorum adiutum, ad eum finem in diem me propius adcessurum. Quod si mihi Deus roganti ac precanti hoc dederit, ut vos, iuvenes amatissumi, acri discendi fervore adcensi ut estis ita maneatis, non solum laudem doctrinae, qua haec schola semper floruit, non deminutum iri spero, set etiam alteram, illa adeo maiorem, morum honestatis, certissume integram futuram esse. Nihil me ardentius ab Deo summo expetere, quam ut omnia, quae in hoc meo novo munere acturus sim, ad pietatem honestatemque in discipulonum animis retinendam, augendam, confirmandam valeant, ex ipso argumento, quod hac oratione inaugurali mihi tractandum sumpseram, vos, a., intellexisse puto. Set quoniam omnes morum regundorum ratio inde pendet, quo animo simus et in eos, qui nobis munus mandavere, quique nobiscum suscepere, et in eos, qui curae nostrae et custodiae conmissi sunt, quae de hac parte muneris mei sentiam, ex eis cognosci volo, quibus quemadmodum in vos animatus sim, quibuscum muneris necessitudine coniunctus tenebor, declarare conabor.

Te igitur primum adloquor, vir perillustris ac maxume spectabilis, qui summi rerum ecclesiasticarum et scholasticarum moderatoris, viri excellentissumi, verbis et mandato munus Rectoris in hac schola regia mihi traditum inaugurasti. Quo gratiore animo quam amplum et honorificum hoc munus sit, persentio, eo diligentius me enisurum esse polliceor ac spondeo, ut omnibus quae a me expectentur et postulentur, quantum possim et valeam, satisfaciam. Nihil magis contendam, quam ut regi potentissumo eisque, quos ministros suos esse voluit, et ipse summa fide oboediam et ad eam oboedientiam ac fidelitatem discipulos adducam. Nihil ardentius expetam, quam ut ex hac schola prodeat iuventus pia atque honesta, docta et erudita, patriae prorsus dedita. Quod propositum si diligentissume semper persequar, non spero solum verum confido viros inlustrissumos et praeclarissumos, qui scholis

nostris hucusque sapientissume et benivolentissume prospexere et ut etiam diu prospiciant Deum precor, meis laboribus et contentionibus cum indulgentia et clementia fauturos meaque studia honesta, bona, utilia consilio atque auctoritate sua adiuturos. Quae ut etiam laetiore et certiore animo voveam ac sperem, plurumum confert, qua Tibi ipsi, vir perillustris, obstrictus sum, gratia atque pietas. Quam bene de scholis merueris ac mereas novit patria, noverunt adeo exteri, set mihi meisque rebus tam bene semper consuluisti, ut parens melius de filio merere non potuerit. Cum ergo nullum tempus, nullae res benificiorum abs Te in me conlatorum recordationem delere possint, ut etiam Tua caussa pro virili parte omnia officia mea praestem, incitabor ac stimulabor, nullaque re magis ad laetissumam spem erigor, quam quod Te auctorem, moderatorem, adiutorem mihi fore certus sum. Quod ut mihi praebere velis, enixe Te oratum atque rogatum cupio.

Iam vos, conlegae amplissumi, doctissumi, honoratissumi, summo quo par est animi candore saluto. Conpluribus vostrum iamdudum amicitiae atque amoris vinculis coniunctus sum, nonnullis multa et magna debeo, nemo vostrum me nisi faustissuma quaeque et prosperruma adprecatus excepit. Scio in vobis eam pietatem, eam virtutem, eam doctrinam et prudentiam esse, quas vix satis honorificis verbis ecferre queam: non ignoro, vos de hac schola ita meruisse, ut vobis grata sit patria, grati discipuli, grati eorum parentes ac propinqui. Ipse ego vobis gratiam maxumam habeo, quod vostra opera hanc scholam integram et florentem accipio. Scio quanto opere doleatis, quod is vir, quem quanti faciam antea audistis, ab vobis discesserit, eo acrius ego adnitar, uti mihi quoque benivolentiam atque amorem praebere possitis, eoque magis id contendam, quia usu conpertum habeo, non plus rectorem sine conlegis, quam conlegas sine rectore posse. Certus sum, quoniam muneris necessitudo ac societas inter nos intercedit, mihi in tuenda hoc schola a vobis firmissumum praesidium atque adiumentum non defuturum: pro mea igitur parte vobis polliceor, me semper memorem futurum esse, quid vobis praestare debeam, semper ad illud elaboraturum, ut inter nos concordia sit et consensus honestus. Quamquam fieri vix poterit, quin interdum in divorsas sententias discedamus, tamen ut absit ira et studium semper curabo et consulam. Atque etiam quod maius est, vobis voveo. Cum iam veteres Romani intellexerint, honoris et muneris necessitudinem ita sanctam esse, ut ab cognationis et consanguinitatis ratione non differat, hoc consequi studebo, ut etiam privatae vitae omniumque rerum nostrarum societas quaedam interior cum caritate et benivolentia ad muneris communionem adcedat. Animum meum in vos summo amore incensum esse, sincere atque integre vobis confirmo: agite vero, viri amatissumi, quod a vobis curatissumis precibus peto, ne mihi denegetis.

Ad vos me converto, discipuli carissumi. Semper studio quodam ardenti animus meus ad iuvenes educandos et procurandos latus est, eamque ob caussam munera praeceptorum in scholis provincialibus maxume optabilia mihi visa sunt, quod in eis interior quidam nexus frequentiorque consuetudo cum discipulis, quam in aliis esset. Hoc igitur ad vos animo venio, ut vobis parentis loco esse velim. Nil antiquius habebo, quam ut veram vostram salutem omnibus modis augeam et amplificem, ut pietatis et humanitatis semina in animis vostris strenue conseram, adsidue custodiam, diligenter producam. Nil umquam neglegam, quod vobis emolumento et commodo esse possit. Quidquid vos angit vel pungit, quidquid vobis aut triste aut prosperum evenerit, semper me vobiscum aut laetantem aut dolentem habebitis. Quodsi Deus optumus mihi cotidie subpliciter roganti hoc dederit, ut vos me in dies magis venerari atque amare discatis, tum demum laetissuma spes mihi adfulget fore ut, quod hodie suscipio munus, felix faustum fortunatumque sit. Set qui esset verus meus vostri amor, si quae in vobis vitiosa aut minus recta, deprehendero, indulgere quam conrigere mallem, si eam severitatem disciplinae, quam Dei leges ecflagitant, res publica postulat, exercere nollem? Nil ardentius ab Deo summo precor, quam ne quemquam vostrum graviter ac severe castigare et punire cogar, set si illud incolumitati ac saluti cum vobis, tum universae scholae futurum sit, ne mihi firmitas et gravitas desit. Quare tria vos, disciputi carissumi, animo benivolentissumo moneo et rogo. Scio iuvenes, quo acrioribus ingeniis sint, eo molestius atque aegrius tolerare harum scholarum disciplinam. Multa vobis negari quibus aequales liberrume fruantur, dolere soletis: tempora vobis ad certam normam descripta, quid per otia vitetis, quid aliis horis agatis praescriptum esse indigne ferre soletis. Non illud, quod in iuvenilis ingeni natura positum est, obprobrio vobis dabo, si ad maiorem libertatem adspiretis eamque ardenti desiderio exoptetis, set ne umquam ea naturalis cupiditas in legum migrandarum pruritum erumpat, ne umquam in eis violandis ac contemnendis laudem ac gloriam quaeratis! Mementote — iusto vobis

rogando atque obtestando, iuvenes carissumi, — legem hanc divinam esse, ut parentibus eisque, quibus vostra tutela conmissa est, oboediatis ac pareatis, omnibusque, qui eam diligenter ac religiose observent, felicitatem summam adeo in vita terrestri promissam atque portentam esse. Haecne igitur tanta commoda abicere maletis, quam per breve tempus quae vobis incommoda videantur tolerare? Mementote vos omnes benificiis frui, ab rege et civitate in vos conlatis, neque alia conditione in hanc scholam receptos esse nisi cum legibus eius vos obtemperaturos esse fidem dedissetis. Quid autem viro indignius, quam ab fide data desciscere? Mementote, id quod omnis antiquitas, omnes omnium temporum intellegentes et prudentes clamant, nullam conmunionem ac societatem hominum esse ac stare posse, nisi leges observentur, ipsos igitur vos hanc scholam deleturos esse, si illas contempseritis. Atque quae vetamini quaeque iubemini, ad quid aliud spectant, quam ad utilitatem vostram? Liberi esse voltis: liber nemo umquam fuit, nisi qui legibus sua voluntate oboedire didicisset. Alios regere cupitis: nemo recte inperavit, nisi qui sibi ipse inperare consuevisset. Ab aliis laudari voltis: nemini id contigit, nisi qui ad suam lubidinem communi saluti posthabendam sese exercuisset. Set facilius iuveni, si fervore atque inprudentia ad facinus conmittendum abreptus fuerit, ignoscetur, modo ingenue fateatur. Nihil homine libero indignius est quam fraudibus, fallaciis, mendaciis uti, nil scelestius quam alios ad eadem instigare atque adeo cogere. Nolo ita inter vos animatos esse, ut quidquid in altero animadvorterit, id alter deferat et indicet, at horret animus si cogitem hunc morem aput vos vigere posse, ut omnes potius mentiri, quam quemquam de se fateri velitis. Atque hoc alterum est, quod vos monitos ac rogatos volo: fugiatis mentiundi et dissimulandi artem. Qui amor inter nos praeceptores et vos discipulos esse potest, si nulla est veritas, nulla fiducia? Nulla re pietas et benivolentia gravius atque acerbius violantur ac laeduntur, quam fallendo et decipiundo. Cui tertium adiungo: sancto vinculo inter vos obstricti estis. Eundem Deum colitis, eandem patriam habetis, eisdem benificiis fruimini. Quicunque huc receptus fuerit, eius idem ius eademque officia sunt, quae ceterorum omnium. Una in domo alimini, quo melius ad omnia bona praeparemini, ut consuetudine frequenti honestaque familiaritate maiora incrementa doctrinae omniumque virtutum capiatis. Nonne igitur vobis hanc legem scriptam esse memineritis, ut inter vos diligatis atque ametis, nonne scitis etiam a vobis quo modo cum iuventutis vostrae sociis egeritis, iudicem aeternum rationes repetiturum esse? Prae ceteris hoc institutum scholarum provincialium laudatur, quod unicuique, ubi paulum ipse adoleverit, aliorum regendorum, moderandorum, omnibus modis augendorum potestas quaedam conmittitur. Ea igitur facultate et copia bene de aliis merendi recte utamini, prosperruma quaeque inde vobis evenient: ne supercilia ad tristitiam atque odia conponens ferocia, set caritas, benivolentia, modestia inter vos regnet. Nullum peccatum gravius a me habebitur, quam debiliorum lacessundorum, persequendorum, obprimundorum pruritus. Quae vos rogandos atque monendos putavi, non quo ea vitia inter vos gliscere atque propagata esse scirem aut statuerem, set quo me melius nosceretis. Primus enim ad mutuam benivolentiam et caritatem gradus est cognitio consiliorum et voluntatum. Cum ergo intellexeritis me nihil ardentius cupere, quam quod ad incolumitatem huius scholae vostramque salutem pertineat, nihil a vobis postulare nisi quae homine libero et honesto digna sint, nihil gravius odisse quam quod dignitati et felicitati vostrae advorsetur, si me quae ne noceant vobis periculum sit haut ignorare noveritis, certo spero et confido fore, ut quam data atque accepta fide inter nos modo iunximus societatem utrique cum religione servemus atque vos me venerari atque amare discatis. Nam hoc quoque vobis spondeo, me, quantum possim, persuasione potius quam castigatione ad vera et honesta vos adducere malle. Agite igitur, discipuli carissumi, me parentis loco esse vobis velitis. Pro vostra salute et incolumitate omni tempore me adnisurum, laboraturum, vigilaturum esse vobis polliceor ac promitto.

Set quoniam nihil bonae frugis humano labore atque industria quaeritur, nisi Tu adfueris, Te, Deus omnipotens, sanctissume, iustissume, clementissume, subplicans atque adorans precor: praesens mihi adsis in hoc munere gerundo, quod Tuo nutu suscepi. Indignum me esse gratia Tua, summa cum paenitentia confiteor, at confido filio Tuo, Iesu Christo, Domino meo. Nil te rogatum volo, nisi quod ad honorem Tuum spectet. Inpleas me per spiritum Tuum sanctum fide et pietate, confirmes et augeas in me amorem Tuum et filii Tui, recta consilia mihi subpedites, sapientiam ac prudentiam, robur et constantiam mihi inspires. Salvom fac regem nostrum, salvam patriam nostram, salvom hoc oppidum quique gubernant atque administrant. Si instare volueris extrema pericula et bella atrocissuma, iustae caussae da victoriam: sin pacem, id quod instantibus precibus Te rogamus, conservare malueris, ut omnes Tibi summa pietate serviant, ecfice: omnibus in rebus, ut nos Saxones cum fide officia praeste-

mus, abs Te petimus. Set quoniam hanc scholam mihi tradidisti ac commendasti, quid ardentius exorem, quam ut Tu eam tuearis atque munias: conlegas meos bees et mecum honestissuma amicitia iungas: discipulos incolumes et salvos velis mihique pios, oboedientes, amantes praebeas. Quae ego peccavero aut minus bene instituero, mihi ipsi potius quam scholae nocere velis, quidquid utiliter atque recte consuluero, ad eventum prosperum perducas. In Te, Divina trinitas, omnis spes mea posita est. Tu hanc sollemnitatem, hunc aditum muneris velis faustum, felicem, fortunatumque esse. Amen.

Mit dem herzlichsten Dank für die Gnade des hohen Ministeriums, für den freundlichen Empfang durch seine lieben Kollegen, für die Beweise der Achtung und Anhänglichkeit, welche ihm die theuren Schüler sowol bei seinem Antritt, als fortwährend gegeben haben, verbindet der Unterzeichnete die Bitte um Vertrauen und Unterstützung an die Aeltern und Angehörigen aller unserer Zöglinge, weil er ohne diese nicht hoffen kann, sein Amt in vollem Segen zu verwalten.

II.

Um den dieser Schulschrift gesteckten Raum nicht zu sehr zu überschreiten, wird diesmal die Uebersicht über das, was vorgetragen und gelehrt worden ist, um so leichter wegfallen können, als eine Veränderung in der Lehrverfassung nicht eingetreten ist.

III. Vermehrung des Lehrapparats.

Ausser den Fortsetzungen der *Allgemeinen Encyclopädie der Wissenschaften und Künste* von *Ersch und Gruber*, des *Philologus* von *E. v. Leutsch*, des *rheinischen Museums für Philologie*, der *Encyclopädie* von *K. A. Schmid*, *Ph. Wackernagels deutschem Kirchenlied* und dem *Hoff'schen Genealogischen Atlas* sind in diesem Jahre für die Schulbibliothek angeschafft worden: *Deutsche Verfassungsgeschichte* von *Georg Waitz*. I. Band. 2. Aufl. Kiel 1865. — *Schola Horatiana* ed. *F. Hauthal*. Vol. II. Berlin 1866. — *Geschichte der Griechisch-römischen Philosophie* von *Chr. A. Brandis*. 3. Theils 1. und 2. Abth. Berlin 1860. — *Geschichte des Drama's* von *J. L. Klein*. 3. Theil. Leipzig 1865. — *Evangelische Schulordnungen* von *Reinhold Vormbaum*. Drei Bände. Gütersloh 1860—64. — *Deutsche Stadtrechte* von Dr. *H. G. Ph. Gengler*. Erlangen 1852. — *Anna, Churfürstin von Sachsen. Nach archivalischen Quellen* von Dr. *Karl von Weber*. Leipzig 1865. — *Dante Alighieri's Göttliche Komödie*. Metrisch übersetzt und mit kritischen und historischen Erläuterungen versehen von *Philalethes*. Neue durchgesehne und berichtigte Ausgabe. Leipzig 1865 und 66. — Aus der Auction, welche der um die Anstalt hochverdiente Herr Professor M. Lorenz veranstaltete, sind folgende Schriften erworben worden: *v. Gruber*: Verzeichnis sämmtlicher Abhandlungen in den an den preussischen Gymnasien 1825—37 erschienenen Programmen. Berlin 1840. 4. — *Winiewski*: Verzeichnis der preussischen Programme 1825—41. Münster 1844. 4. — *Gutenäcker*: Verzeichnis aller Programme in Bayern 1823—42. Würzburg 1843. 4. — *Schreberi* Vita Georgii Fabricii. Leipzig 1717. Pgb. (Angebunden: *Kriegk*: de vita Iusti a Dransfeld, *Casp. Sagittar.*: de vita et scriptis Livii Andronici, Ennii, cet., *Schmidii* de vita et script. Casp. Sagittar.) — Nachricht von der gegenwärtigen Verfassung der Landesschule zu Meissen. 1796. — Beschrei-

bung der Landesschule St. Afra. Dresden 1783. — *Weisse:* Jubelrede von den Verdiensten des Herzog Mauritius gegen die evangelische Religion in teutscher Uebersetzung. Dresden 1744. 4. — *Bertuch:* Teutsches Pfortisches Chronicon. Leipzig 1734. 4. — *Am Ende:* Memor. Inspectorum Portens. Wittenberg 1748. 4. (Angebunden: *Haymann:* Pfortisches Denkmal. 1748). — Ueber die Schulpforta. Berlin 1786. — *Schmidt* und *Kraft:* die Landesschule Pforta. Schleusingen 1814. — Monumenta convivii Port. Lipsiae 1834. celebr. Leipzig. — *Ackermann:* Erinnerungen an Pforta. 1826. — *Mittag:* Hallische Schulhistorie. 1. und 2. Theil. 1744 und 1747 in einem Band. — *Spitzner:* Geschichte des Gymnasiums zu Wittenberg. Leipzig 1830. — *Herold:* Geschichte der Klosterschule zu Rossleben von 1554—1854. Halle 1854. 4. — *Lamb. Bosii* ellips. Graec. ed. *Schäfer.* Lipsiae et Lond. 1808. — *Pareus:* Lexicon crit. lat. ling. Nürnberg 1645. — *Nolten:* Lexic. lat. ling. antib. ed. Wichmann. T. I. et II. Berol. 1780. — *Vossii* Aristarchus. Ed. II. Amsterd. 1662. — *Seyfert:* lateinische Sprachlehre. 1—5. T. Brandenburg 1798—1802. 2 Bde. — *Ruddimanni* inst. gramm. lat. ed. Stallbaum. Lips. 1823. — *Ketelius:* de elegantiori latinitate comparanda. Amsterd. 1723. — *Heusinger:* emendationum libri 2. Gotha 1752. — *Casauboni* de satyrica Graecorum poësi et Rom. satira. Halle 1774. — *G. Hermann:* Elementa doctr. metricae. Lips. 1816. — Lexicon Herodoteum ed. *Schweighäuser.* Argent. et Paris. 1824. — *Phrynichi* Eclogae nom. et verbor. Atticor. ed. *Lobeck.* Lips. 1820. — *Thomae Magistri* *'Ονομάτων 'Αττ. ἐκλογαί* ed. *Jacobitz.* Lips. 1833. — *Aratos'* Sternerscheinungen und Wetterzeichen, übers. u. erklärt von *J. H. Voss.* Heidelb. 1824. — *Homers* Hymne an Demeter, übers. u. erkl. v. *J. H. Voss.* Heidelb. 1826. — *Lachmann:* Betrachtungen über Hom. Il. mit Zusätzen von *M. Haupt.* Berlin 1847. — *Lycophronis* Alexandra, cum lat. interpr. ed. *Reichard.* Lips. 1788. — *Orphica* ed. *G. Hermann.* Lips. 1805. — *Sapphonis* Mityl. fragmenta ill. *Neue.* Berol. 1827. — *Simonidis* Cei carm. reliq. ed. *Schneidewin.* Braunschw. 1835. — *Tryphiodor.* ed. Wernicke. Lips. 1819. — *Ciceronis* or. tres de lege agraria rec. et expl. *A. W. Zumpt.* Berlin 1861. — *Ciceronis* epist. rec. et ill. *Schütz.* VI Tomi. Halle 1809—12. — *Pauli Manutii* comment. in Cic. epp. ed. *Richter.* Lips. 1780. — *P. Manutii* comment. in Cic. oratt. cur. *Richter.* Lips. 1783. — *Taciti* Germania comm. illustr. *Kiessling.* Lips. 1832. — *Horatii Odae,* rec. et ill. *Jani.* 2 Voll. Lips. 1778 et 1782. — *Ovidii* Fasti, rec. notisq. instr. *Gierig.* 2 Voll. Lips. 1812 u. 14. — *Schömann* de comitiis Athen. Greifsw. 1819. — *Meier:* hist. iur. Att. de bonis damnatorum. Berol. 1819. — *Zachariae:* Sulla als Ordner des römischen Freistaats. Heidelb. 1834. [Diese sämmtlichen Bücher wurden für 35 Thlr. 28 Ngr. erworben.]

Für die Karthaussische Abtheilung ist ausser den Fortsetzungen von den *Geschichtschreibern der Deutschen Vorzeit in deutscher Bearbeitung, herausgegeben von Pertz* u. s. w. angeschafft worden: *Athen und Hellas. Forschungen zur nationalen und politischen Geschichte der alten Griechen* von *Wilhelm Oncken.* Erster Theil: Einleitung. Kimon. Ephialtes. Zweiter Theil: Perikles. Kleon. Thukydides. Leipzig 1865.

An Geschenken erhielt die Schulbibliothek vom Königlichen Ministerium des Cultus und öffentlichen Unterrichts: *Eduard von Wietersheim.* Ein Lebensbild von *C. D. von Witzleben.* Leipzig 1865. — Von Sr. Excellenz dem Herrn Staatsminister von Falkenstein: *Archiv für die Sächsische Geschichte.* Herausgegeben von Dr. *W. Wachsmuth* und Dr. *K. von Weber.* Leipzig 1863—65. Drei Bände. — Von Herrn Professor Dr. Frohberger die von ihm herausgegebenen *ausgewählten Reden des Lysias, für den Schulgebrauch erklärt.* Erstes

Bändchen. Leipzig 1866. — Von der Königlich Bayerischen Akademie der Wissenschaften zu München: *Sitzungsberichte der Königlich Bayerischen Akademie der Wissenschaften zu München.* 1865 und 1866. und *Abhandlungen der philosophisch-philologischen Klasse der Königlich Bayerischen Akademie der Wissenschaften.* XI. Bandes zweite Abtheilung 1866. — Von der Commission zur Herausgabe der Kieler Universitätsschriften: *Schriften der Universität zu Kiel* aus dem Jahre 1865. Band XII.

Der hiesige Obersteuerinspector Herr A. Jacobi schenkte der Bibliothek den Lebenslauf aus der im Jahre 1613 in Leipzig gedruckten 'Leichenpredigt des Edlen, Gestrengen, Ehrenfesten und Wolbenambten Herrn Daniel Preussen von Preussendorf zu Planckenow und Zweybrodt, weiland dreyer römischer Kaiser, als Ferdinandi I., Maximiliani II., Rudolphi II., gewesenen Raths, Ober-Salz-Amtmanns in Schlesien und Laussitz und Comitis Palatini', welcher im Jahre 1529 geboren und vom Jahre 1550—1553 Schüler (Primus) der hiesigen Landesschule war. Ein ehemaliger dankbarer und verehrenswerther Schüler der Landesschule, Herr Hofrath Dr. Flemming in Dresden, übersandte im Manuscript die von ihm beim Stiftungsfest 14. September 1816, also gerade vor 50 Jahren gehaltene Valediction: I. Carmen de hac sententia: Nulla salus bello, pacem te poscimus omnes. II. Zum Abschied, ein Versuch eines Gedichts über die Trennung.

Den hochverehrten Gebern statten wir im Namen der Anstalt den herzlichsten und ergebensten Dank ab.

IV. Statistik.

A. Schulcollegium.

Dr. phil. *Heinrich Rudolf Dietsch,* Rector und erster Professor, Ritter des k. russ. Annen-O. 3. Kl. } Inspection.
Carl Eduard Cotta, Rentamtmann und Hausverwalter. } Inspection.
Carl Rudolph Fleischer, zweiter Professor.
Lic. theol. u. Dr. phil. *August Friedrich Müller,* dritter Professor.
Carl Hermann Loewe, vierter Professor.
Friedrich Alfred Gilbert, fünfter Professor.
Dr. phil. *Gottlob Bernhard Dinter,* sechster Professor.
Dr. ph. *Gerhard August Hermann Frohberger,* siebenter Professor.
Dr. ph. *Hermann Wunder,* achter Oberlehrer.
Dr. ph. *Ernst Gustav Koch,* neunter Oberlehrer.
Rudolf Samuel Böhringer, Cantor.

Als Turn- und Tanzlehrer ist Herr *Haugwitz,* als Zeichenlehrer Herr Maler *Luther,* als Schreiblehrer Herr Stadtsteuereinnehmer *Arland* angestellt.

B. Verzeichniss der Schüler, welche abgegangen sind:

a) auf die Universität:

Zu Michaelis 1865, den 14. September	mit dem Zeugniss Litt.	Mor.	gieng nach	um zu studieren
1. *Johannes Martin Lotichius* aus Glauchau	I.	I.	Leipzig	Jura.
2. *Franz Richard Wappler* ans Wernesgrün	I^{b}.	II^{a}.	-	Jura.
3. *Immanuel Reinhard Wolf* aus Klingenthal	II.	I.	-	Medicin.
4. *Albert Fraustadt* aus Bündorf	I^{b}.	I^{b}.	-	Theologie.
5. *Karl Hugo Seltmann* aus Dresden	I^{b}.	I.	-	Theologie.
6. *Albin Laube* aus Roda	I^{b}.	I^{b}.	-	Theologie.
7. *Karl Siegfried Dörffling* aus Leipzig	II^{a}.	I.	-	Theologie.
8. *Paul Theodor Canitz* aus Borna	I^{b}.	I.	-	Theologie.
9. *Arwed Martini* aus Waldenburg	I.	II^{a}.	-	Jura.
Zu Ostern 1866, den 22. März:				
1. *Alfred Werner* aus Reichenbach	II^{a}.	I^{b}.	-	Medicin.
2. *Johannes Valter* aus Grimma	I^{b}.	I^{a}.	-	Theologie.
3. *Emil Arthur Ed. Königsheim* aus Zwickau	II^{a}.	I^{b}.	-	Jura.
4. *Paul Moritz Hoffmann* aus Freiberg	II^{a}.	II^{a}.	-	Theologie.
5. *Georg Heinrich Löser* aus Wurzen	I^{b}.	I^{b}.	-	Jura.
6. *Karl Maximilian Lange* aus Lastau	II^{a}.	I^{b}.	-	Theologie.
7. *Gottwalt Albert Manitz* aus Lichtenwalde	I^{b}.	I.	-	Medicin.
8. *Quartus Oswald Richard Klemm* aus Chemnitz	II^{a}.	I.	-	Medicin.
9. *Karl Eduard Paul Redlich* aus Rochlitz	II^{b}.	I^{b}.	-	Jura.
10. *Friedrich Bernhard Hanns* aus Leisnig	II.	I^{b}.	-	Jura.
11. *Karl Franz Buerschaper* aus Geithain	II.	II^{a}.	-	Medicin.
12. *Albrecht Julius Otto Steinert* aus Wolkenstein	II.	I^{b}.	-	Jura.
13. *Wilhelm Otto Kunze* aus Lengenfeld	I^{b}.	I.	-	Jura.
14. *Gustav Adolf Siebenhaar* aus Penig	I^{b}.	I^{b}.	-	Theologie.
15. *Johann Friedrich Kretzschmar* aus Greifenhain	I.	I^{b}.	-	Philosophie und Pädagogik.

b) auf andere Schulen:

1) *Carl Johann Paul Richter* aus Dresden. 2) *Alfred Liebmann* aus Frauenhain. 3) *Gustav Karl August Schnabel* aus Glauchau (dim.). 4) *Friedrich Wilhelm Alwin Hänichen* aus Schönberg (dim.). 5) *Franz Emil Schedlich* aus Rochlitz (dim.),

c) zu einem andern Berufe:

1) *Hugo Köhler* aus Leipzig. 2) *Edmund Theodor Berthold* aus Teplitz.

C. Verzeichniss der Schüler, welche aufgenommen worden sind:

1.	*Paul Jakob Kees* aus Zöbigker	den 12. October 1865.
2.	*Hans Erwin Contius* aus Rochlitz	- - - -
3.	*Georg Hartmann* aus Leipzig	- - - -
4.	*Eduard Göhring* aus Leipzig	- - - -
5.	*Philipp Georg Richter* aus Neustadt bei Stolpen	- - - -
6.	*Rudolf Ferdinand Römisch* aus Lengenfeld	- - - -
7.	*Otto Bernhard Schmidt* aus Reichenbach	- - - -
8.	*Hans Paul Schomburgk* aus Colditz	den 25. October 1865.
9.	*Ernst Otto Herrmann* aus Grimma	den 11. April 1866.
10.	*Richard Robert Thieme-Garmann* aus Lauterbach bei Krimmitzschau	- - - -
11.	*Oswald Richard Wagner* aus Rochlitz	- - - -
12.	*Karl Richard Mertig* aus Waldenburg	- - - -
13.	*Karl Martin Hasse* aus Leulitz	- - - -
14.	*Gustav Richard Bechert* aus Leisnig	- - - -
15.	*Max Innocenz Otto von Einsiedel* aus Syhra	- - - -
16.	*Julius Hermann Klenke* aus Grossenhain	- - - -
17.	*Hugo Martin Pohland* aus Königstein	- - - -
18.	*Johannes Weickert* aus Quesitz bei Markranstädt	- - - -
19.	*Karl Ernst Rasch* aus Grimma	den 13. April 1866.
20.	*Friedrich Volkmar Stadler* aus Chemnitz	- - - -
21.	*Paul Ludwig Zschommler* aus Mühltroff	- - - -
22.	*Heinrich Gustav von Erdmannsdorf* aus Dresden	- - - -
23.	*Eduard Ernst Robert Körner* aus Pegau	- - - -
24.	*Georg Heinrich Otto Rausch* aus Radeberg	- - - -
25.	*Karl Albrecht Döring* aus Schreiersgrün	den 9. Mai 1866.
26.	*Paul Gustav Benedict Ackermann* aus Dresden	den 5. Juni 1866.
27.	*Georg Heinrich Hey* aus Greiz	- - - -

Der Cötus bestand im Winterhalbjahre 1865—66 aus 145 Schülern (Prima: 40, Secunda: 34, Tertia: 35, Quarta A: 25, Quarta B: 11), im Sommerhalbjahr 1866 aus 145 Schülern (Prima: 26, Secunda: 39, Tertia: 40, Quarta A: 22, Quarta B: 18).

Am 29. März dieses Jahres wurden in der Klosterkirche durch Herrn Superintendent Dr. Grossmann folgende Zöglinge confirmirt: *Max Alfred Otto Schirlitz* aus Nieder-Rabenstein, *Karl Gustav Loewe* aus Grimma, *Richard Sperling* aus Grimma, *Heinrich August Leonhardt* aus Leisenau, *Ernst August Seidel* aus Dresden, *Kurt Alexander Baumgärtner* aus Leipzig, *Friedrich Hugo Kirsten* aus Radeberg, *Moritz Johannes Neumann* aus Grimma, *Hans Friedrich Thieme* aus Dippoldiswalda, *Max Gustav Hallbauer* aus Grossbothen, *Erwin Richard Schwartz* aus Oschatz und *Hans Erwin Contius* aus Rochlitz.

V. Verleihung von Stipendien und Prämien.

Königliche Stipendien erhielten auf Empfehlung des Schulcollegiums von dem Königlichen Ministerium des Cultus und öffentlichen Unterrichts bei dem Abgang zur Universität Michaelis 1865 *Johann Martin Lotichius* aus Glauchau und *Karl Hugo Seltmann* aus Dresden, zu Ostern dieses Jahres *Johannes Valter* aus Grimma und *Wilhelm Otto Kunze* aus Lengefeld.

Das Göschen'sche Stipendium, jährlich 200 Thaler auf drei Jahre, wurde zu Ostern dieses Jahres dem Abiturienten *Johann Friedrich Kretzschmar* aus Greifenhain auf Grund der von ihm über das Thema: „Ueber das Herz zu siegen ist schwer, ich verehre den Tapfern, Aber wer durch sein Herz sieget, er gilt mir doch mehr (Schiller). 1. Darlegung des Sinnes der Worte und zwar mit Rücksicht auf die Erläuterung, die Schiller anderwärts selbst gibt. 2. Kennt das klassische Alterthum einen gleich hohen sittlichen Standpunkt? 3. Durch welches Mittel kommt es nach Schiller's Meinung zu dem Siege durch das Herz? 4. Erweis't sich dieses Mittel als ausreichend?" gefertigten Arbeit und seiner Maturitätsexamen-Censur vom Schulcollegium mit Genehmigung des Königlichen Ministeriums zuerkannt.

Die Examen-Bücherprämien erhielten Michaelis 1865: *Johannes Valter* aus Grimma, *Gustav Adolf Siebenhaar* aus Penig, *Max Siegel* aus Glauchau, *Moritz Bernhard Wolf* aus Johanngeorgenstadt, *Christian Ludwig Hennig* aus Grimma, *Georg Elias Nathanaël Müller* aus Grimma, *Arnim Friedrich Elster* aus Leisnig und *Friedrich Moritz Haase* aus Zöblitz. Ostern dieses Jahres: *Franz Julius Kaulfers* aus Chemnitz, *Ernst Otto Peters* aus Chemnitz, *Paul Victor Schmidt* aus Borna, *Max Stephan Arminius Nicolai* aus Mügeln, *Paul Richard Bleyl* aus Chemnitz, *Wilhelm Ludwig Freese* aus Grimma, *Max Alfred Otto Schirlitz* aus Nieder-Rabenstein, *Paul Richard Petri* aus Lichtenstein.

Die Zinsen des von Rakel'schen Legats erhielten in Bücherprämien: *Gottwalt Albert Manitz* aus Lichtewalde, *Wilhelm Otto Kunze* aus Lengefeld, *Johannes Friedrich Hoffmann* aus Freiberg, *Georg Theodor Hoffmann* aus Rochsburg, *Emil Ernst Graupner* aus Döbeln, *Friedrich Louis Berthold* aus Terpitzsch, *Christian Friedrich Schmidt* aus Borna, *Paul Gustav Wachler* aus Chemnitz; in Geld je 8 Thaler: *Karl Theodor Nicolai* aus Bischofswerda, *Gustav Adolf Müller* aus Eibenstock, *Paul Gustav Weissenborn* aus Grossenhain, *Adolf Richard Friedrich* aus Pegau, *Oskar Bruno Kirsten* aus Radeberg. Die Verkündigung der Empfänger erfolgte vorschriftsmässig am Schulfest, die Aushändigung am Todestage des verewigten Stifters, 11. October, an welchem die Todtenfeier begangen wurde.

Die Zinsen des Legats ehemaliger Grimmenser, je 8 Thaler, wurden *Quartus Oswald Richard Klemm* aus Chemnitz und *Werner Ludwig Constantin Weissenborn* aus Pulsnitz, die des Neumann'schen, 4 Thaler, *Karl Anton Julius Bormann* aus Wolkenstein, die zum ersten Mal zur Verleihung kommenden 8 Thaler von der Stiftung eines alten Grimmensers dem Primaner *Franz Julius Kaulfers* aus Chemnitz zu Theil.

Die Zinsen des Karthaussischen Legats empfingen am 20. Juni, wo das Andenken an den verstorbenen Extraneer Karthauss vorschriftsmässig gefeiert wurde, *Karl Theodor Nicolai* aus Bischofswerda, *Kurt Weinert* aus Werdau, *Paul Georg Heinrich Segnitz* aus Bischofswerda.

VI. Auszug aus der Rechnung vom 1. October 1864 bis dahin 1865 über die Säcularstiftung der ehemaligen Grimmenser für die Wittwen und Waisen der ordentlichen Lehrer.

A. Einnahme:

3013	Thlr.	14	Ngr.	8	Pf.	Kassenbestand,
28	-	10	-	—	-	Jahresbeiträge der Lehrer und des Emeritus,
2	-	—	-	—	-	Loosung für 12 Musikalienkataloge,
125	-	20	-	3	-	Interessen,
69	-	7	-	1	-	Miethe von den Instrumenten.
3238	Thlr.	22	Ngr.	2	Pf.	Summa der Einnahme.

B. Ausgabe:

10	Thlr.	—	Ngr.	—	Pf.	Unterstützung,
—	-	—	-	5	-	Postscheingebühren.
10	Thlr.	—	Ngr.	5	Pf.	Summa der Ausgabe.

Abschluss:

3238	Thlr.	22	Ngr.	2	Pf.	Einnahme,
10	-	—	-	5	-	Ausgabe,
3228	Thlr.	21	Ngr.	7	Pf.	Kassenbestand.

Ueberdiess besitzt der Fond 5 Instrumente, von denen der Miethertrag der Kasse zufliesst. Mit besonderem herzlichem Danke ist zu erwähnen, wie Herr Rector emer. Dr. Wunder bei seinem Abschied seine Liebe zu der Schule auch dadurch bewiesen hat, dass er der Wittwen- und Waisenkasse ein Pianoforte (das sechste) schenkte.

VII. Ordnung der Feier des Stiftungstags am 14. September:

I. Gottesdienst um 8 Uhr Morgens in der Klosterkirche. Predigt des Religionslehrers Professor Lic. Dr. *Müller*.

II. Actus in der Aula um 10¼ Uhr.

1. Primaner *Max Siegel* aus Glauchau: Lateinische Rede über Horat. Od. III 24, 31: Virtutem incolumen odimus, Sublatam ex oculis quaerimus invidi nebst Ausdruck der dankbaren Gesinnung gegen die Stifter der Stipendien und Prämien.
2. Verkündigung der diesmaligen Empfänger von Prämien und Stipendien durch den Rector.

3. Abiturient *Franz Martin Schröter* aus Eutritzsch: Die Rede der Io bei Aesch. Prom. 640—686, in lateinischer Elegie bearbeitet.
4. Abiturient *Franz Julius Kaulfers* aus Chemnitz Deutsche Rede: Der Unterschied des Grundgedankens im Nibelungenlied und dem Lied von Gudrun.
5. Abiturient *Friedrich Daniel Ernst Ficker* aus Michelwitz Griechische Rede: **περὶ τῆς τοῦ Δημοσθένους ἀρετῆς.**
6. Abiturient *Oscar Hartmann* aus Leipzig Französische Rede: le caractère national des Français, comparé à celui des Allemands.
7. Abiturient *Friedrich Wilhelm Heinrich Ahlfeld* aus Alsleben Deutsches Gedicht: Sage von der Zusammenkunft des künftigen Kaisers Friedrich Barbarossa mit Johannes von Ziten und Abschiedsgedicht im Namen der Abiturienten.
8. Entlassung der Abiturienten durch den Rector.
9. *Friedrich Albin Kunad* aus Eutritzsch Deutsches Abschiedsgedicht an die Abiturienten.

Allgemeiner Choralgesang.

Zur geneigten Theilnahme an dieser Feier, zu welcher der Herr in Gnaden seinen reichsten Segen schenken wolle, werden die Aeltern und Angehörigen der Schüler, sowie alle Gönner und Freunde der Anstalt hierdurch ergebenst eingeladen.

Grimma, 26. August 1866.

Heinrich Rudolf Dietsch.